

1
6
148







I

OPINIONVM IOANNIS MARII MATTII BRIXIANI VIRI ERVDITISS.

Libri tres.

IN QVIBVS PLVRIMA LOCA AVCTORVM Latinorum & Graecorum hactenus a nullo tractata, aut non recte exposita explicantur; aut conrupta emendantur:

ADCESSERVNT ALIQVOT CARMINA,
Cum breui libello de Orthographia.

AD INLVSTRES ARNVTIOS
Medices musarum patronos.



F. M. Antonius Riposus Inquisitor Alexandriae, & Aquarum, uidit, & concedit ut imprimatur.

Alexandriae Statiellae, ex Officina Herculis Quinctiani
Kalen. Mai. CIↃ. IↃ. IIC

II

INLVSTRIBVS
CAESARI, IORDANO, ET MARCELLO ARNVTIIS MEDICIBVS EQVITIBVS.
IOANNES MARIVS MATTIVS S. P. D

AMARI a quam plurimis nobilissimi Arnutij, & odia hominum effugere praeclarum quiddam & optabile eße, & iucunditatis plenum fatentur uno consensu & praedicatione omnes. Redduntur etiam rationes, quibus uia conmonstratur, quo modo offensionem uitantes beneuolentiam conligere, & conlectam sartam & tectam toto uitae curriculo conseruare cum laude queamus. Quas rationes scribens ad homines sapientes, & omni omnis doctrinae atq. historiarum supellectile egregie instructos huc congerere consilium non est. Hoc tantum dicam. Etsi cantari ubiq. audimus, Difficilia esse, quae pulchra (amicitia autem quid pulchrius? quid etiam conducibilius?) tamen iudicare me, ad amorem istum conparandum, nullam uiam

reperiri posse pulchriorem, nec compendiariam magis Beneficentia & Gratia. Quam utramq. uirtutum si quis umquam adamauit, certe hic a nobis cultam fuisse omni tempore in familia uestra uniuersi norunt & praedicant. ut mirandum non sit, si cari toti ciuitati sitis: et omnes uos in oculis ferant. egoq. κωμικὸς μάρτυς testimonium apud omnes tribuere possum. Nemo uos beneficio, nemo redditione gratiae uicit. Macti hac animi sublimitate Arnutij. Virtutes induistis uirtutum nobilissimas, pulcherrimas, & liberissimas, uirescentes semper, & semper florentes, & feraces. Aliae fortasse apud alios frequenti, & nimio partu defetiscuntur, & deficiunt. hae apud uos faetae semper, & fecundae sunt; effaetae numquam, & numquam steriles. Pariunt illae uobis, quam quaerere omnes sapientes debent, rerum humanarum omnium nobilissimam, formosissimam, & beatissimam possessionem, felicitatem sine inuidia. Maiores uestri hanc uobis ad gloriam strauerunt uiam. uos uestra uestigia in eorum exemplis hereditario iure firmiter inprimitis. Proponatur quilibet ex antiquis uestris: uniuersi inlustri aliquo facinore & honore insignes, prope digito monstrabunt ad uirtutem & gloriam parandam, uiam.

Nobilitatem tradunt uiri in sapientia principes ab antiquitate, opibus, & uirtute constitui. Tribus his facultatibus ante conditam Alexandriam uos Arnutij, decentissime floruistis. Nam satis historiarum monimentis constat, quo tempore Imperator Fridericus Aenobarbus totam Galliam Cisalpinam grauissimis tributorum exactionibus, & armis infestam haberet, a coniuratis ciuitatibus iugum inpotentissimi dominatus indignissime ferentibus Brixia, Cherio, Cremona, Dertona, Hasta, Mediolanio, Parma, Placentia deductam huc fuisse coloniam Alexandriam: loco tunc quidem uacuo, sed, si incoleretur, ad retundendos Ticinensium, & Marchionis Montisferrati impetus, qui partibus Friderici studentes finitimarum ciuitatum libertatem iacturam suam putabant: & ad celeriter inter se foederatorum copias coniungendas atq. alendas inter duo nauigabilia flumina Burmidam & Tanarum opportunissimo. Initio enim conditae urbis uicus Burgolium nondum a radice uicini collis ad fluminis Tanari ripam,

ere-

e regione urbis, qua parte illa Zephyrum spectat, deductum erat, satis, inquam, constat, cum uoluntariorum ex vicinis oppidis, quos caeli clementia, soli feracitas, & studium defendendae atq. ornandae nouae urbis inuitabat: tum euocatorum ex enumeratis supra urbibus ingentem manum huc conuenisse. In his fuere Arnutij fama adhuc ita testante: qui translatis huc opibus, quae illis non tenues fuerunt, ex patria sua Brixia vrbe cum iuuentutis numerosae & firmissimae, & ad audenda nobilissima quaeque facinora semper promptissimae, tum uirtutum omnium ad belli pacisq. subsidium & ornamentum necessariarum matre & altrice, in noua urbe de pristina existimatione & opulentia deperdiderunt nihil. immo omni tempore aucti uirtute, & opibus: florentes prole, honoribus, & amicis muniti propinquorum, & adfinium fide: celebres gratia, & hospitijs nobilissimorum hominum, ad has & reliquas uirtutes, quas commemorare non est ocium, addiderunt humanitatem, hilaritatem, cultum, & magnificentiam plane imperatoriam & regiam. Id testantur ueteres abaci & mensae auro atq. argento exornatae; parietes peregrinorum peristromatum ornamentis intecti, ampla in suburbio, & alibi latifundia: aedium urbanarum atq. uillarum magnificae exstructiones, cuilibet magno Principi recipiendo adcommodatissimae. quae hospitiorum necessitas saepe illis contingit. Namq. haud fere quisquam, aut legatus, aut Cardinalis hac iter facit, quin recta, ad Arnutios deuertat propter caussas dictas ante, & propter familiaritates, quas prope vbiq. sed maxime Romae habent cum Pont. Max. & tota Romana aula: & praecipue cum Florentinis Medicibus. cum quibus iam inde a Leone & Clemente, etiam antequam ad faustissimum Pontificatus Max. gradum illi conscendissent, ipsis tanta intercessit arctissimae coniunctionis necessitudo, ut cooptatos in familiam suam Arnutios uoluerint cognomenta atq. insignia gentis suae in omnem posteritatem referre. Itaq. inscriptis publicis & priuatis Arnutij Medices adpellantur: & utriusq. familiae signo tabularum, quas in contrahendo conficiunt, fidem firmant & sanciunt. Locus hic erat recensendis illis: qui cum alijs uirtutibus, tum maxime literarum & militiae gloria floruerunt. Ve-

rum

rum meditantem atq. adcedentem iam ad caussam numerus obruit. qui deterrens ab incoepto quasi monet, ut profundam istam nimium, & plane Herculea ad exhauriendum ope indigentem Camarinam omnino non moueam. Attamen territus nihil sum. quin mihi ipse animum ad opus conficiendum & complendum feci. ne partem constituendae nobilitati principalem, & quae in ea familia praecipue culta semper fuit, aut culpa negligentiae omissam, aut memoriae infirmitate praeteritam, aut alius uitij crimine neglectam calumnientur aliqui, in alienis perpendendis scriptis seueri asperiq. nimium exactores. Paucos aliquot (nam uniuersos polliceri percensere audaciae esset inconsiderati & iudicio carentis hominis) adtingam. Ergo in militaris disciplinae scientia & usu tradunt uarij Annales, insignes fuisse in gente Arnutia Manfredum, Gulielmum, Rainezonum, Lafranchellum, Paganum, Nicolaum, Iacobum. Quorum omnium nomina adhuc leguntur relata in publicis tabulis nobilissimae Iustitiae (sic enim concilium illud adpellabant) Societatis. quae frequentia & splendore conlegarum per ann. ab ortu D. N. circiter CIƆ. CCC. celeberrima fuit, & florentissima.

Antonius Arnutius paullo post ea tempora in magno excellentium ciuium numero dilectus a Senatu populoq. Alexandrino ad tollendas inter Monferatenses, et ciues suos controuersias, post multas acresq. disceptationes tandem honestissimis conditionibus comite Gulielmo nobili iurisperito ex antiquissima Lamboriciorum gente: quae in hac ciuitate semper ciuilis scientiae (ut interim sileam qui in militari arte excelluerunt) seminarium, & fons fuit. vnde perpetua cōtinentiq. serie per sex aetates ex vnis aedibus sex inlustres iureconsulti ad hunc Alexandrum Lamboricium, item eximium iuris peritum, qui nunc floret, manarunt, saluberrimam pacem conciliauit. Properantem ad finem morantur subirati & prope indignantes Guido & Ioannes Luchinus Arnutij: quorum prior in bello Brixianorum contra Henricum VII. Imperat. post multa egregia facinora pestilentia obijt. Alterum non fortuna, sed animi altitudo & conscientia meriti sui, quae sperare digna virtute

iubebat,

iubebat, proxime ad sublimiores in aula Romana honores extulit. Hic praeter uetustam nobilitatem; subsidio scientiae iuris & legum, & ornamentis omnium liberalium artium fultus dedit se in familiaritatem Leonis & Clementis Medicum multo antequam bono literatorum fato utriq. D. Opt. Max. Tyara Pontificio caput redimiret. in qua sublimitate conlocatus Leo ultro euocatum ad se Ioannem Luchinum, pristino amore simul cum potentia aucto, sic conplexus est, ut iuberet bono laetoq. animo esse: & a se sperare atq. optare officia atq. auxilia omnia, quibus dignitatē & opes suas honestari atq. amplificari posse iudicaret. Nec minus re quā uerbis liberalis fuit. Namq. cum iam Decanatus, & postea Archipresbyteratus in maximo fano Alexādriae dignitate Luchinus esset insignitus, ab eodem Pontifice Leone Medice statim Protonotarius, & Relator (Referendarium dicunt) utriusq. signaturae renunciatus est. adpellatusq. Familiaris, & relatus inter Barones, & Principes participantes maximorum quorumcumq. honorum & dignitatum. Gubernator Parmae & Placentiae praefuit. Praesidens etiam constitus est Piceni cum titulo & potestate Legati a latere, id est cari, amici, familiaris, & tamquam a latere numquam discedentis. Admissus est in familia Medicea ipse, & omnes in infinitam posteritatem filij, & nepotes eius, ut Arnutij Medices adpellarentur: & insignia familiae Medices gestarent: anuloq. cum Mediceo symbolo firmarent quodcumq. sancire ipsis uideretur esse opportunum & necessariam. Dataria demum dignitate decorato restabat solus purpurei galeri apex. eo iam ipsi ab eodem Leone destinato ne potiri posset, obstitit sceleratorum audax & immane facinus. Nam dum Quaesitor missu iussuq. Leonis quaestionem Perusiae in Paullum Baionum habet, ab ijs, qui, si caussa esset dicenda, conscij sibi uidebant suorum scelerum audaciam impune ipsis non futuram, ueneno sublatus in ea urbe, cum summo acerboq. Max. Pont. totiusq. aulae, ac bonorum omnium dolore & luctu interijt.

Iam ante hic Ioannes Luchinus Datarius adeptus erat, a Summo Pont. sibi & posteris gentilibus suis facultatem sistendi, & nominandi Archipresbyteri, & unius Canonici

in

In templo Max. Alexan. Vtriusq. huius Sacerdotij reditus tenues tunc erant. Ioannes Luchinus sui patrimonij diminutione angustias vtriusq. subleuauit.

Idem Pontifex ablata abbatia D. Petri in Burgolio a Monachis D. Benedicti, eius abbatiae Sacerdotio Petrum Martyrem Arnutium Ioannis Luchini fratrem Protonot. Apost. ornauit, addita facultate nominandi Flaminis. quam facultatem etiam ad posteros peruenire uolebat. Sed interea mortuo, vt dictum est, Ioanne Luchino, negocio, cuius iam erant iacta fundamenta, fastigium inponi non potuit.

Iacobus Maria Arnutius eorumdem Ioannis Luchini & Petri Martyris frater I. V. consultus Protonot. Apostolicus & Decanus templi Max. Alexand. Archipresbyterq. Ouiliarum cum facultate plurium etiam non simplicium Sacerdotiorum obtinendorum, magnae fuit uir existimationis, & nominis.

Carolus quoq. V. eius nominis Imperator noluit eumdem esse suae liberalitatis expertem. Comitem Palatinum, & Equitem, Aulicum, Familiarem ipsum, & fratres posterosq. cum uniuersis dignitatum atq. honorum nominibus adpellauit.

Ioannes Luchinus Iunior ad iuris ciuilis, & aliarum uirtutum prudentiam, in quibus sua tempestate paucos pares habuit, addidit scientiam & usum administrandorum maximorum negociorum, & in primis Reipublicae. Itaq. electus a patria magnis grauibusq. de rebus missus legatus ad Carolum V. Imp. rediit impetratis omnibus, de quibus missus erat, rebus.

Quis I. C. Iacobum Mariam iuniorem satis digne commendet? cuius fores quotidie tritae erant frequentia consultorum, & clientium, deducentium & reducentium? Alij aucupes sunt gratiae & fauorum popularium: uulgiq. studia arte omni semper inhiantes uenantur. sibiq. in crebris occursationibus atq. adsectationibus nimium quantum placent. Ille pertaesus uentorum istorum, & quietioris securiorisq. uitae adpetens, ab excellentissimo Senatu, cum aliter se exsoluere non posset, uacatione omnis publici forensisq. muneris summa contentione tandem impetrata, totum se in meditatione religiosorum Christianorumq. officiorum tradit,

sed

sed in medio cursu florentis aetatis animam Deo reddidit, relinquens non suis solum, sed omnibus bonis luctum & memoriam sui nominis sempiternam.

Vix umquam quemquam uideris aequiore, atq. adeo laetiore animo excedentem e vita Petro Martyre Arnutio iuniore. Illi laboranti circumsistebant amicitiæ & propinquitatis necessitudine coniunctissimi, ut uel animum facerent ad ferendam communis fati necessitatem, uel spem salutis promittentes languorem subleuarent, uniuersis agebat tanta mentis & orationis aequabilitate & constantia gratias, ut nisi intestinum ulcus remedijs nullis curari posse medici domesticos docuissent, magnitudinem morbi altitudine sapientiae ab illo sperarent uinci posse. Ille porro perfunctus omnibus Christianis ritibus, expiataq. admissarum culparum solemnibus officijs & piaculis conscientia hortari, qui aderant omnes, coepit ad religionem & pietatem omnem omni cura, cogitatione, mente, atq. animo imbibendam & colendam: praedicabat nullum obsidem, nullum pignus consequendae salutis aeternæ habere mortales certius religione. Ea duce, ea comite, non solum dum hic sumus, dum uitam hic inter nostros agimus, omnia prospere cedere, sed post obitum etiam ab illa sublimes in beatorum sedes tolli. Praedicabat gloriari esse fas nemini in felicitatibus humanis, sed uniuersa accepta referenda Deo esse. Cum haec (inquiebat) uobis cano, eadem mihi ipse praedico. quae, vtinam, mihi prosint ad pomerendum clementiam Dei. Quod ingenuus, quod nobilis natus sim, quod eductus & eruditus liberaliter, quod venerim in clientelam atq. amicitiam summorum Principum, quod me amarint Cardinales multi, præsertim Medices, & Bonelli: quod carus fuerim Pont. Pio V. quod Ioannem Franciscum fratrem in re familiari bene constituta, & in Reip. administratione cum laude egregie sancteq. uersantem relinquam: quod fratris filios Iordanum & Marcellum a Xisto V. ter Opt. ter Max. Pont. Equitū Lauretanorum titulis & insignibus, cum honorifico subsidio pecuniae ad tuendam tanti honoris maiestatem auctos honestatosq. uideam, uniuersa summo Deo accepta refero. Sed haec de Petro Martyre sint satis.

Veniamus ad alios uiuentes, quos piaculum sit silentio praeterire. Antonius Arnutius tres habet fratres Caesarem, Bartholomaeum, & Nicolaum. Hic curam rei familiaris gerit. Antonius & Caesar vterq. Protonotarius Apostolicus, ab ineunte aetate religioni se dediderunt: cui comitem adiunxere cognitionem iuris & legum. quas utrasq. per se honestissimas partes uirtutibus morum sic inlustrauerunt, ut omnia Iustitiæ, Prudentiæ, Constantiæ, & Moderationis munia ita scite condiuerint, ut nec in iustitiam ulla ullius seueritatis, nec in prudentiam astutiae, nec in constantiam contumaciæ, nec in modestiam diritatis suspicio umquam inciderit. Itaq. cuncti praedicant, Archidiaconatus, quo nitet Antonius, & Archipresbyteratus, quo fulget Caesar, dignitatem melius conlocari nusquam alibi potuisse. Hos honores illis ad sublimiora decora atq. ornamenta gradus esse augurantur omnes: egoq. in primis: qui gloriam & felicitatem alumnorum meorum meam puto. Bartholomaeum Iureconsultum sua excellens uirtus, & in iudicando sanctitas facit, ut Ferdinandus Velascus Celtiberiae magnus Comes, & in Italia Philippi Regis Imperator, ac Mediolanij, & totius prouinciæ Mediolaniensis Prorex & Gubernator eum semper habeat occupatum Praefecturis & Magistratibus administrandis. nuncq. Dertonae Quaesitor & Capitalium rerum iudex seueritatem muneris recta iurisdicundi sapientia moderatur & temperat.

Multa quidem restant, quae de hac honesta familia uestra dici possent & deberent: Sed & meae multae occupationes uobis non ignotae, me excusabunt. Vosq; confido pro aequamitate uestra prætermissorum ueniam Mattio uestro liberaliter esse condonaturos. Superest, ut hos tres libros meos Opinionum, quos in lucem nunc primum exeuntes uobis commendo, in fidem clientelamq. uestram, quod spero uos libenter esse facturos, recipiatis. Valete. vi. Kalen. Mai. CIϽ. IϽ. IIC

IN

IOANNIS MARII MATTII

OPERA

VICTORII MVTII CARMEN.

QVOS hortos cernis, quaeso, ne temne, uiator,
Traxerit huc casus, duxerit aut ratio;
Si ratio, prudens, si te fortuna, beatus
Hesperidum pomis hinc potiora feres.
Irriguum viden hic tu duplice flumine campum,
Gleba olim triplex ubere qui vigeat?
Ingresso tibi iam liceat perpendere cuncta,
Ferreq; de cunctis omnia, quae placeant:
Omnia cum tuleris, nihil at de corpore toto
Dempseris (en artem) talia campus habet:
Tu sed enim fructus carpas ne dente maligno,
Vel flores laedas, gramina sacra caue;
Custodes opifex sapiens nam quattuor agris
Misit, quo nullus damna pudenda ferat,
Quorum quisq; Arnutius, alto ex sanguine quisq;,
Vnanimes omnes, singulus atq; potens:
Quin & quinctus adest Glinus uir maximus unus
Maiorum factis, clarus, & ipse suis.

Nullum permittent campis hi laedere quicquam,
Ipſos dum ignotos omnia ferre ſinent.
Mattius haec latis de multis (perlege) chartis
Tranſtulit, orna animum prouidus ipſe tuum.
Quae uitam ſpectant, quae mores, eloquium, artes
Summas, hoc libro condidit exiguo:
Vel latium teneat te, docta uel Attica tellus,
Cecropis hic, alta hic moenia Martis habes.

GVLIELMINI

SCHIAVINAE SACERDOTIS CANONICI MAXIMI Templi Alexandriæ.

AD ARNVTIOS MEDICES CARMEN

IN LIBRVM OPINIONVM IOANNIS MARII MATTII.

Vt tradunt ueterum ſcripta: Terentium
Iuuerunt Sapiens Laelius, & fera
Qui uicta retulit nomen ab Africa:
Vrbis Romuleae cum nouus incola
Calcaret Latiam ſcenam humili pede:
Nec uates (fuit ut pectore candido)
Soccis conticuit præbitam opem ſuis
A tantis Ducibus militiae & domi.
Ergo ſi modici ſubſidij memor
Euterpe Libyci muſa Terentij
Inſigni meritos laude beat uiros;
Quantum, obſecro, bonis ARNVTIIS tribus
Omnes Caſtaliae debuerint Deae?
Quorum conſilio, quorum ope nobilis,

Et Rubris Arabum dignus odoribus
Nunc prodit liber hic? & nitidum caput
In dij radios exserit aetheris?
Macti, Macti animis esse Sodalium
Chors vos docta iubet. vestra animum viro,
Laus Amphrysiacis empta laboribus
Addat: quo properet promere cetera:
Quae mens tanto homini parturit inclyta.
Hoc nymphae patrij Tanarides soli,
Virtus uestra id auet, postulat, exigit.
Sic Rex aetherei uos foueat poli.
Sic uos perpetuis auctet honoribus.
Sic post sera leuis funera scandat in
Iustis pollicitum Spiritus aethera.

HERCVLES

HERCVLES Quinctianus.

Benigno Lectori.

AMantissimis te verbis oro, quisquis es, humanissime lector, vt, si quid vnquam libenti animo fecisti, si quid, quod tibi pro futurum speraueris, si quid tandem meditatus sis, quod perfectum te iuuerit; hunc, quem manibus sumpsisti, librũ libentissimè, atq; studiosissimè perlegas: spero enim fore, vt intelligas, neq; me vnquam meis typis mandasse quiquã, quod studiosis hominibus plus in hoc genere scribẽdi vtilitatis afferret, neq; te inter recentiores libros quemquam legisse, qui te vel maiori varietate oblectaret, vel vberiori vtilitate iuuaret. Veros namq; comperies hortulos illos, quos superiori carmi-

ne per elegantem metaphoram irriguos, amoenos, fructiferos ingeniosus & facun. Victorius Mutius descripsit. Nam doctissimus Mattius ad ingenuas artes lucidandas, ditandas, ornandas præter multa ex fecundo suo ingenio deprompta plurimos locos in varijs artibus, varijsq; scriptoribus, uel à librarijs corruptos, vel obscuros, vel dubios partim à nullo vsque ad hunc diem notatos, partim perperam expositos notauit, emendauit, atq; illustrauit; permulta varia, noua, eademq; vtilissima in hunc librum congessit non secus, ac gnaui, diligentesq; agricolae soleant ad diuitum praepotentumq; virorum hortulos conserendos quicquid suauissimorum pulcherrimorumq. fructuum quoquo modo inueniri possint vel ex remotissimis regionibus comportare, quò nihil ad suauitatem, nihil ad amœnitatem possit desiderari. Sed, ut quam primum suauissimos hosce fructus degustes, degustatisq; te expleas, haud te pluribus moror. Vale.

OPINIONVM

IOANNIS MARII MATTII

LIBRI PRIMI.

ARCHIATRVS, EXARCHIATRVS, Exiatrus. Locus Hesychij emendatus & expositus.

Cap. I

LIBRO X. Cod. de Excusationibus munerum : Titulo XLVII lege VI. exstat epistula Imperaris Constantini Aug. ad Volusianum. cuius initij haec sunt verba.

" *Medicos, & maxime Archiatros,*
" *vel Exarchiatris, Grammaticos pro-*
" *fessores, & alios liberalium litera-*
" *rum Doctores, vna cum vxoribus &*
" *filijs, necnon & rebus, quas in ciuitatibus suis possident,*
" *ab omni functione, & ab omnibus muneribus ciuilibus,*
" *vel publicis immunes esse praecipimus.*

Iacobus Cuiacius maximus aetate nostra iurisperitus Archiatros exponit,qui in aula Principis curant. Exarchiatros autem, qui dimissi sunt ex Palatio, siue Comitatu. In comment. vero ad Pandectarum Titulum de Excusationibus, Archiatros adpellari scribit, Romae tantum, & Constantinopolis Medicos : quasi Principales Medicos.

Quod ad Archiatros pertinet, vtraq. Cuiacij interpretatio eadem est & recta. Principales enim Medicos intelligit (vt etiam nonnulli alij faciunt) Medicos Principis: non autem principes, excellentes,coryphaeos, ceterisue praefectos: quales sunt, quos vulgo nunc Protophysicos, aut Protomedicos voce, ex graeco latinoq. vocabulo conflata vocant. Αρχιατρος (inquam) est τοῦ ἀρχοῦ ἰατρος: non vt in Αρχιερευς, Αρχέτυπος, & in reliquis eiusmodi vocibus : quae primum seu principem sacerdotem : & primum exemplar, primamq. formam significant. Quod quidem vidit etiam vir doctus Ioannes Brodaeus extremo suarum Adnotationum libro. Haud ita pridem legi apud nouum scriptorem, cuius nomen memoria excidit,tradentem, in Epistula medica a quodam Vindiciano, quem auctorem non mihi contigit legere, Aesculapium Archiatrum ob excellentiam fuisse adpellatum. Apuleius quoq. eumdem Aesculapium medicorum principem praedicat excepto tamen Hippocrate. Quod ad vocem Exarchiatris pertinet, nequaquam Cuiacij interpretationi adquiesco exponentis, qui dimissi sunt ex Palatio siue comitatu. Ego cum scriptum videam apud Hesychium Εξιατρὸς, quod verbũ de suo more verbo altero hoc Εκθυτικὸς exponit, valde impellor ad suspicandum:quemadmodum fuerunt ἰατροὶ & ἐξιατροὶ, sic Αρχιατρους & Εξαρχιατρους potuisse esse, & debuisse. Dicet aliquis: quod nam fuit munus, quae functio, quaeue dignitas Exarchiatrorum istorum? Amplius quidem hic pronuncio. Neq. enim est considerati hominis in re vetustate, & silentio historiae obliterata confidentius quidquam statuere. Attamen munus

Archia-

Archiatrorum non potuit eſſe admodom diſsimile muneris Exiatrorum: quorum, ex his, quae adferam, argumentis conicio has fuiſſe partes: vt eſſent tamquam praefecti alijs medicis. a quibus ipſi repoſcerent quaſi ἐξετασαὶ aut cenſores medendi rationem. Namq. Ariſtoteles lib. iij. Politicorum ſcribit.

» ὥσπερ οὖν ἰατρὸν δεῖ διδόναι τὰς εὐθύνας ἐν ἰατροῖς, οὕτω
» καὶ τοὺς ἄλλους ἐν τοῖς ὁμοίοις.

Huiuſmodi exigendae rationi praefuiſſe puto hos, quos Heſychius Ἐξιάτρους vocat. Itaq. apud eumdem eſſe conruptã vocẽ illam puto: quam expoſitionis loco ſubiungit Ἐκθυτικὸς: quando nihil aliud addens ſcribit. Ἐξιατρὸς, Ἐκθυτικὸς. quod vocabulum cum hic & alibi ſit nulli rei, ego pro illo (ſi doctorum ſuffragium adcedat) ego (inquam) ab Ariſtotele admonitus, & quaſi manu ductus libenter reponerem, Εὐθυντικὸς: parua admodum, & eadem verecunda, & fortaſſe etiam legitima mutatione.

Εὐθυντικοὶ autem fuere, qui εὐθύνας, ideſt rationem adminiſtrati officij repoſcerent. Quod ſi Ἐξιατροὶ fuerunt ἰατρῶν cenſores, ſic, ſi Exarchiatros, ſiue Exarchiatris (vt eſt in verbis Imperatoris) cenſeamus, habuiſſe in Archiatros eamdem auctoritatẽ, etiamſi fallamur, excuſationẽ tamen potius quã reprehenſionem ab omnium aequitate debeat haec noſtra iuuandi voluntas exſpectare. Si Cuiacius probaſſet Exarchiatros, ſiue Exarchiatris fuiſſe, qui ex Palatio, vt ſcribit, ſiue Comitatu dimiſsi eſſent, vel honoris ergo, tamquam veterani & emeriti, vel quauis alia honeſta cauſſa dimiſsi, facile concederem, dictos eſſe Exarchiatros ab Imperatore eo modo, quo Valerius Max. lib. iij. cap. viij de L. Craſſo loquens dicit Ex conſule his verbis.

» *Nam, cum Ex conſule prouinciam Galliam obtineret.*

aut quomodo ſaepe eſt in libris legum, Ex conſules, Expraetores, pro ijs, quos antiqui dicebãt cõſulares, Praetoriosq.: qui aliquãdo cõſules Praetoreſq. fuiſſent. Sed cũ ille id nõ probet, nec, vt credo, probare poſsit, aequi iudices aequi boni faciant hanc opinionem noſtram.

VIR, PINVS, PALAEMON,
apud Virgilium: Gutta, Stilla.

Cap. II

LVnge argutior & mordacior erit ſententia Virgiliani illius verſus ecloga VIII

» *Parcius. iſta viris tamen obicienda memento.*
» *Nouimus & qui te.*

Si ſic exponamus. Vt haec obicienda ſint, tamen auctoritatem iſtam non ſibi quiuis ſumat: ſed qui purus ipſe ſit: moribuſq. & exiſtimatione integer: quaſi dicamus. Obicienda ſunt a viris, non a te polluto, contaminatoq., & turpi libidine infami. quem nouimus inter viros mulierem fuiſſe.

Eadem ecloga.

» *Tantum vicine Palaemon*
» *Senſibus haec imis (res eſt non parua) reponas.*

Suetonius in libro de claris grammaticis de hoc Palaemone ſic ſcribit.

» *Adrogantia fuit tanta, vt M. Varronem porcum adpellaret. Secum natas & moriturum literas iactaret. Nomen ſuum in Bucolicis non temere poſitum: ſed praeſagiente Virgilio, fore quandoq. omnium poetarum Palaemonem.*

In Eclogam VII

Montanam ſiluestremq. arborem eſſe Pinum norunt omnes. miranturq. nonnulli, habitam eſſe a Virgilio domeſticam & hortenſem hoc verſu.

» *Fraxinus in ſiluis pulcherrima, Pinus in hortis.*

Sed praeter Virgilium etiam Vegetius lib. iv. cap. xxxiv admirationem temere ſuſceptam docet, cũ ſic loquitur.

» *Ex cupreſſo ergo & Pinu domeſtica, ſiue Silueſtri Larice, & Abiete praecipue Liburna contexitur.*

ALIQVOT

ALIQVOT VIRGILII LOCA EX Georgicis adnotata. Moesia, Mysia. Viscum. Abolere vndis. Quem, Qua abundare. Tonsus. Decotes. Exsuperabilis.

Cap. III

" NVLLO *tantum se Moesia cultu*
" *Iactat : & ipsa suas mirantur Gargara*
" *messes.*

Cum duplex sit Mysia, vna Asiae, altera Europae: iampridem admonuit doctus Hermolaus Barbarus, vtramq. a Græcis Μυσίαν scribi cum y in prima syllaba: Latinis aliter seruantibus. quorum mos est Asianam Mysiam: Europeam vero Moesiam adpellare. Ergo ego crediderim Virgilium secutum morem ceterorum Latinorum in versu supra citato Moesiam scripsisse: & de Moesia Europea, non de Asiana intellexisse, quidquid aliter tradant Virgilij eo loco interpretes. Est namq. vero propius, poetam voluisse rem augere exemplo feracitatis duarum prouinciarum potius, quam vnius. praesertim, cum prope τὸ ἀυτὸ sit Mysiæ & Gargara. Etenim Gargara Troadis sunt: cui Mysia adeo coninncta est, vt termini antiquis fuerint ambigui. Vnde prouerbium a Strabone libro xij. relatum, locum atq. originem habuit.

" χωρὶς τὰ μυσῶν, καὶ τὰ φρυγῶν ὁρίσματα διορισαι χαλεπόν.
" *Mysorum, & Phrygum terminos certos constituere dif-*
" *cile.*

Sic enim malim vertere, quam quomodo Erasmus fecit. qui existimans Trimetron Iambicum esse cũ hemistichio, ipse addens ex ingenio uerba aliquot, sic interpretatur.

" *Sunt separati Mysiorum termini.*

Phry-

" *Phrygumq. : ſed finire perquam eſt arduum.*

Certe locus apud Straboñe ſic, vt a me eſt relatus, diſerte ſcribitur ſine vlla menſura Trimetri. Felix porro prædicatur a feracitate vtraq. Europea atq. Aſiana prouincia. Itaq. Philoſtratus in Heroicis Myſos Aſiae praedicat

" ἄριςα ἠπειρωτῶν πράττοντας.

Solinus de Moeſijs Europeis (duplex enim eſt Moeſia Europae, vt etiam Myſia Aſiae) ſic ſcribit.

" *Mox Moeſiae : quas maiores noſtri iure Cereris horreum no-*
" *minabant.*

Myſi praeterea Aſiae fuere coloni Moeſiorum Europae auctore Straboue, cum alibi, tum lib. vij. his verbis.

" οἱ τοίνυν ἕλληνες τοὺς Γετας θράκας ὑπεξλάμβανον. ὤκουν
" δ' ἑκάτερα τοῦ ἴςρου καὶ αὐτοὶ καὶ οὓς νῦν μύσους κάλουσιν.
" ἀφ' ὧν ὡρμήθησαν, καὶ οἱ νῦν μεταξῦ λιδῶν καὶ φρυγῶν, καὶ
" τρώων οἰκουντες μύσοι.

Sed haec hactenus.

In eo verſu

" *Tum laqueis captare feras, & fallere viſco.*

ibi viſcum pro rete ponitur. Ad id probandum nihil de meo addam. Tantum adponam Nonij verba: ne decipi nos ſinamus a Seruio, atq. ab alijs interpretibus de aucupio hic, non de venatione male accipientibus.

" *Viſcum poſitum pro rete a tenacitate. Var. Parm.*
" *Lepuſculi timentes hoc quadrangulum*
" *Dedit Diana rete nexile,* ἄρκυας
" *Viſcum, ſagenam lineamq. compedem.*

Libro eiuſdem Virgilij operis iij

" *Nam neq. erat corijs vſus. nec viſcera quiſquam*
" *Aut vndis abolere poteſt, aut vincere flamma.*

Interpretes exponunt ſecundum verſum,

" *Nec lauari, nec coqui poterant.*

Quid? ſi nos intelligamus & explanemus viſcera exſtinctarum ea luc pecudum neq. coqui feruentibus in aheno aquis (elixa vocant,) neq. flammis aſſari, & in veribus torreri poterant. Inde carnes aſſae. Quorſum enim laues viſcera, ſi non eſui pares? Certe etiam legumina madeſcere dicuntur, quae facile coquuntur.

Libro

Libro iv

» *In tenui labor: at tenuis non gloria: si quem*
» *Numina laeua sinunt.*

Quem, ibi parelcon est; vt non semel apud eumdem poetam legere est, qua.

Eodem libro.

» *Tonsis in vallibus illum*
» *Pastores, & curua legunt prope flumina Mellae.*

Exponunt interpretes alij

» *Tonsis, apricis.*

alij

» *Non siluosis. vnde econtra est, Intonsi montes.*

Ego vero interpretor densis, herbosis, vestitis, virentibus. ipseq. sibi est interpres Virgilius eo versus libri I Aeneidis

» *Tonsisq. ferunt mantelia villis.*

Vbi sine dubitatione uox haec Tonsis accipienda est pro nouis & pexis, idest quibus villi vsu non sunt detriti. Contra, togat, quibus vetustate, vsu, atq. habendo pili sunt detriti, Decotes adpellantur auctore Festo.

Hoc, quod additurus sum, parergon quidem est: praeterire tamen non debeo. Florem, de quo loquitur Virgilius, & cui a Mella flumine agri nostri Brixiani agricolae nomen fecere Amellum vocantes, existimari ab auctore Glossarij veteris esse, quem graeco vocabulo Melissophyllon dicimus. Sic enim scribit.

» *Amellum*, Μελίφυλλον.

Ego, cum intelligam, Melisphyllon, siue Melissophyllon siue Melittenam esse Latinis Apiastrum, quod apibus sit gratum, videamq. hoc nostrum Melissophyllum nihil habere adfine descriptioni Virgilianae (est autem hortense olus, quam Melissam pharmacopolae vulgo vocant) statuo hic nihil. neq. litem meam faciam. Ceterum de bono malo ue auctore ego emerim, cum Glossarium citaui, iudicent alij.

Lib. iij. ad illum versum.

» *Immanemq. rotam, & non exsuperabile saxum.*

Seruius

Seruius sentit recte, qui actiue positam vocem hanc exsuperabilem scribit. Q. quoq. Claudius apud Agellium lib. xvij. cap. ij. in eodem sensu vtitur.

" *Virum fortem & exsuperabilem Respublica sensit.*

Sic Terentius Phormione. Iustam & vincibilem caussam actiue dixit.

AENEIDIS VIRGILII ACTIO VNA.
De Poesi & Epopoeia. Virgilij grauis error. Horatium falli. Historiam esse fundamentum Epopoeiae & Tragoediae. Horatij versum male a Seruio explicatum.

At, & Ast.

QVAE CAVSSAE MOVERINT VARIVM & Tuccam ad tollendum primos quattuor versus principij Aeneidis. & recte ne id fecerint.

Cap. IV

INchoauerat Virgilius Aeneidem suam his verbis.

" *Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena*
" *Carmen, & egressus siluis vicina coegi*
" *Vt quamuis auido parerent arua colono,*
" *Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis*
" *Arma, Virumq; cano: Troiae qui primus ab oris*
" *Italiam fato profugus, Lauinaq; venit*
" *Litora: multum ille & terris iactatus & alto*
" *Vi superum, & saeuae memorem Iunonis ob iram.*
" *Multa quoq; & bello passus, dum conderet vrbem,*
" *Inferretq; Deos Latio: genus vnde Latinum,*
" *Albaniq; patres, atq; altae moenia Romae.*

Duo

Duo hic mihi quaerenda propoſui ; Quae ſit Actio Aeneidis ; & vna ne ſit, an duae. Deinde recte ne Varius & Tucca primos quattuor principij verſus de Virgilij principio amouerint. Obiterq; inſeremus quaedam a re non aliena. Temperare tamen mihi non poſſum, quin prius vehementer admirer: neminem hactenus animaduertiſſe inſignem errorem Virgilij. Cui habenda erat in propoſitione ratio non Armorum & belli, ſed viri tantum. praeſertim cum admonitorem haberet Homerum initium Odyſſeae, quod hic exprimit, ſic ordientem Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον. Totum enim argumentum operis incumbit in „ Virum, Nam ridiculi ſunt, qui hoc vocabulo, Virum, Errores exponunt. Quod enim ius adfinitatis, aut vicinitatis eſt verbo „ Virum cum Erroribus ? Deinde Actiones duas Aeneidi tribuerent Bella & Errores quae duo incommoda Aeneae quaerenti & adepto Italiam ſunt exantlata : cum Poeſis & Epopoeia vnius tantum Actionis ſit Narratio. Actionis quidem verbum nuſquam iſti nominant: quod faciendum fuit.

Nec obliteratione primorum IV. verſuum remedium vllum eſt adlatum peccato huic. remanet enim τὸ Arma: quae vox omnino ſuperat, hic, vt dicetur. altiuſq. quiddam ſpectauerunt Varius & Tucca, animum ad Actionem intendentes. Cuius virtus niſi ſit cognita, totus hic impenſus labor eſt inanis. Eſt autem Actio quaſi anima poematis. eaq. vnicuiq. poemati vna. vt ridiculi ſint, qui, cum Aeneis ſit Narratio aduentus Aeneae a Troia in Italiam per imitationem, duas Actiones Aeneidi adplicent, quando Arma Bella, & Virum Errores interpretantur. cum Epopoeia ſit vnius (vt dictum eſt) tantum Actionis Narratio per Imitationem. Nec intelligunt iſti, hoc facto ſe duplici crimine Virgilium poetam eminentiſsimum onerare Deſertoris ſcilicet, & Contemptoris. Deſertoris, quod ab exemplo Homeri diſcederet, qui eſt

" *Helice, & clari Septemtriones.*
" *Quo fidunt duce*

omnes prudentes poetae: & a cuius poematis Plato & Aristoteles conscribendae, atq; adeo constituendae artis poeticae praecepta hauserunt. cuiusq; ipse Virgilius toto suo poemate est sedulus imitator & aemulus. Contemptoris vero doctrinae vtriusq; Platonis & Aristotelis: qui vnius tantum Actionis cantorem esse volunt Epicum poetam. A quo vtroq; crimine Virgilium pro uiribus uindicare in animo est. Sed operae pretium est prius praefari paucula de Poesi & Epopoeia: in qua principem inter Latinos poetas locum Virgilio omnes tribuimus meritissimo. Ita hoc iacto tamquam fundamento, fidentius & certius inaedificari poterunt, quae intendimus reliqua.

Definimus autem primum Poesim esse Narrationem vnius Actionis per Imitationem cum suaui oratione.

Poterat omitti, cũ delectatione.

Epopoeiam vero, heroico carmine Actionis vnius Narrationem per imitationem cum delectatione.

Quae definitiones si verae sunt, vt certe sunt, quemadmodum demonstrabimus, sequitur, bono Epico poetae (quamquam tamen Tragicus & Comicus idem sequuntur) vnam tantum, & quidem vnius Actionem in vno Poemate esse tractandam. Praeter exemplum Homeri in vtroq; opere, vt ostendemus paullo post, praecipit etiam Aristoteles id esse faciendum in his, quae sola ex multis, quae edidit de Poetis, & de Poetica, nunc supersunt siue seorsum scripta interrupte praecepta: siue fragmenta libri amplioris: qui perierit, siue commentarij prouisi ad confectionem plenioris & consideratioris operis: siue ex pluribus scriptoribus adnotati loci: siue liber est dicendus: qui nunc studiosorum manibus teritur, doctissimorum aetatis nostrae virorum acutissimis expositionibus inlustratus. Ibi ille philosophus (ut ex pluribus libri illius conlatis locis conligitur) sentit,

ſentit, Poeſim eſſe vnius Actionis imitationem. Quam doctrinam ſecuti ſunt ex antiquis Strabo lib. 1. & Plutarchus de Audienda Poetica: ex nouis vniuerſi (quos quidem meminerim legere) qui materiam hanc tractauerunt. Plato lib. iij. de Repub. id ante illos ſenſerat, praedicans, fieri non poſſe, vt quiſquam multa, ſicut vnum recte imitetur. excidereq; vniuerſis, qui multa ſit conatus. ſcripſerat, inquam, Plato idem, ſed cum additamento vocabuli Narrationis prorſus neceſſario, tradens: Epicos poetas Narrationem per imitationem facere. Quam ſententiam cur Ariſtoteles & reliqui non ſint ſecuti, iuſtae cauſſae ſunt, cur mirentur docti, Primum Homerus, quem cum vniuerſi, tum vterq; Plato & Ariſtoteles meritis laudibus ſaepe extollunt, exemplo ſuo docet, Narrationis verbum in definitione Poeſis eſſe neceſſarium: Et ſane quid aliud eſt in Odyſſea ἔννεπε, & εἶπε, niſi Narra? Quid in Iliade ἀείδε, niſi cane & narra? Quid aliud idem in Odyſſea, niſi hiſtoriam reditus Vlyſsis a Troia in Ithacam? In Iliade hiſtoriam irae Achillis ad Troiam per Imitationem narrat?

Omniuo Epopoeius (quod & Tragico propoſitum eſt) argumentum ſumit ex veritate, ipſo Ariſtotele idem docente. Strabo quoq; lib. 1. cum pluribus verbis in hanc ſententiam diſputauit, tandem ſic concludit.

„ ἐκ μηδενὸς δὲ ἀληθοῦς ἀνάπτειν καινὴν τερατολογίαν οὐκ Ὁμηρικόν.

Tum ſi Epopoeius habet hiſtoriam ſui poematis fundamentum, vt diximus, & alibi etiam dicetur cum aliquo vtili corollario, illi etiam propoſitum eſſe debet ſequi (quantum artis & fabulae ratio patitur) naturam hiſtoriae. Hiſtoria autem, vt verbum ipſum ἱστορέω, vnde nomen habet, declarat, Narratio eſt rerum geſtarum. Itaq. egregie Suidas Epopoeiam exponit eſſe metro heroico ſcriptam hiſtoriam. Quid? Epopoeius eſt ne totus ſemper in

imitando occupatus, vt Tragicus & Comicus? Minime uero. immo frequenter ille ipſe ex ſe ipſo loquitur, ſicut eſt omnibus manifeſtum. Vt non fuerit ſtatuendum, in Imitatione tantum verſari debere Epicum poetam. Tanta autem eſt uis ueritatis, ut ea Ariſtotelem ipſum adigat non ſemel Poeſim διήγησιν & ἐπαγγελίαν adpellare. Vbi etiam agit de differentia Epopoeiae atq; Tragediae ſic ſcribit. Ε᾽νδὲ τῆ ἐποποιια, διὰ τὸ διήγησιν εἶναι.

Ex his igitur vniuerſis, quae diximus, ſatis adparet, Narrationis verbum in definienda Poeſi eſſe neceſſarium.

Sed ad ea, quae de Actione Aeneidis inchoaueramus, aliquid amplius addamus omnino non omittendum. Vnde ſcilicet hiſtoriae narrationem ordiatur Virgilius, cum aliquot alijs ſcitu dignis rebus.

Si igitur Poeſis & Epopoeia eſt vnius Actionis Narratio, vt dicebamus, ergo pariter vnum tantum argumentum in Aeneide, & vnam hiſtoriam agnoſcere debemus. quae eſt Narratio, ut diximus, aduentus Aeneae a Troia in Italiam per Imitationem. Cuius tamen propoſitio non pauculis illis verbis „ Arma, Virumq; cano, ſed vniuerſis XI. prooemij verſibus primis continetur, & ſignificatur. Quod ab Homero in Odyſſea factum viam Virgilio ſedulo imitatori ad ſequendum monſtrauit.

Quamquam autem vterq; Homerus, & Virgilius in exordio promittit initium Actionis, ille Odyſſeae, hic Aeneidis ſtatim ab exſcidio Troiae (hoc enim interpoſuiſſe confert non parum) tamen neuter Narrationem incipit ilico ab abitu a Troia: ſed ille a diſceſſu ab Ogygia Calypſonis inſula Vlyſsis: hic exemplo Homeri, & arte Epopoeiae magiſtra, quae non ab vltimis initijs, verum prope ab extrema hiſtoria docet Actionis principium poemati dare, a Sicilia Aeneae, vltimo ſcilicet vtriuſq; errorum anno fabulam inchoat.

Vt uero nota eſſet reliquarum ingentium aerumnarum hiſto-

historia, quas aerumnas per tam longum tot anno-
rum ſpatium poſt diſceſſum a Troia vterq; heros ha-
ctenus pertuliſſet, commodam, amplamq; narrandi
occaſionem dederunt adcenſi deſiderio noſcendi re-
liqua vniuerſa Alcinous Corcyrae Vlyſsi : Dido
Aeneae Carthagine . Ita tum demum ad initium
rediens ſic orditur Vlyſſes. lib. IX.

„ Εἰ δ' ἄγε τοι καὶ νοςὸν ἐμὸν πολυκηδέ' ἐνίσπω.
„ Ὃν μοι Ζεῦς ἐφέηκεν ἀπὸ Τροίηθ' ἰόντι.

Aeneas quoq; lib. iij

„ *Et pater Anchiſes dare fatis vela iubebat.*
„ *Litora tum patriae lacrimans, portuſq; relinquo,*
„ *Et campos, vbi Troia fuit: feror exſul in altum*
„ *Cum ſocijs, natoq;, Penatibus, & Magnis Dis.*

Haec pluſcula interpoſui : quia non ſatis mihi probat ſententiam ſuam Caſteluetrus acutiſsimus Ariſto-telis Poeticae interpres. qui conatur demonſtrare, Actionem Odyſſeae non a Troia, ſed ab Ogygia: & Aeneidis non a Troia, ſed a Sicilia inchoare. Quod cum facit, ut alia incommoda ſileantur, contraria prorſus propoſitioni utriuſq; poetae tradit: qui di-ſerte a Troia inchoare ſe teſtantur. Nos, ne cum Caſteluetro dicamur inanes acuminis & doctrinae rumuſculos aucupari : & velle videri vidiſſe plus in negotio alieno, quam principes poetae viderint in ſuo, conſeruemus Homero reditum Vlyſsis a Troia in Ithacam, Virgilio diſceſſum Aeneae a Troia in Italiam : hiſtoriam apertiſsime ab utroq; poeta in ſuis prooemijs promiſſam, & in narrando, per totum opus egregia cum fide perſolutam.

De Actione diximus. Nunc cauſſas perquiramus & expendamus: quae Varium & Tuccam mouerunt ad tollendum de principio prima quattuor prooe-mij carmina.

Magnas grauesq; fuiſſe cauſſas eas neceſſe eſt, quae tantos viros ad id audendum compulerunt; quaſq; hactenus vidit nullus: certe protulit & explicauit ne-mo. Arduum etiam eſt, & fortaſſe temerarium, de

ſenſu

sensu & iudicio cuiusquam, ex tanto interuallo, nullis praesertim exstantibus facti iudicijs iudicare. Magnas, inquam, & graues oportet fuisse caussas, quae viros illos mouerint ad suscipiendam illam mentem & uoluntatem: cuius impulsu uterentur adeo seuera ratione curandi, ut statim in ipso limine Virgiliani libri, & in ipso initio operae atq; animaduersionis suae expedienda sibi iudicauerint horrenda & dira ferramentorum ministeria: & (quemadmodum οἱ τῶν ἰάτρων παῖδες in desperatis membrorum morbis consueuerunt) sibi ad sacram chirurgiae anchoram adcurrendum statuerint: hoc facto iudicantes, nulla alia ope, nisi resecto capite laboranti principio succurri posse. Haec quidem ita se habent, tamen mihi videor excogitasse pulchram, grauem, & fortasse germanã & certam facti caussam: quam ego diu tectam & tacitam occultare amplius & silere non debeo. estq. haec.

Non probauerunt in principio operis, periti artis poeticae, excellentes ipsi poetae L. Varius, & Plotius Tucca professionem praedicationemq; personae auctoris Aeneidis. Norant Epopoeiam δραματικὴν potissimum esse: & in imitatione maxima ex parte versari, & consistere: & per inductas personas narrando fabulam peragere. Itaq; Demetrius de Homeri Iliade loquens δράμα illam nominabat. Norant, inquam, Poetam raro immiscere se: nec fere nisi prooemij, & implorandi numinis, & coniungendi caussa inductarum personarum conloquia ipsum loqui. Hinc frequentissimum, & ignaris poeticae artis immerito odiosum illud apud Homerum, τὸν δ᾽ ἀπαμοιβόμενος, Laudaturq; idem Homerus hoc nomine etiam plus ceteris: & magis poetam, quam reliquos in hac quoq; parte esse Aristoteles praedicat. vt inepte cum Seruio apud Virgilium illi faciant: qui versum illum Horatij in epistula ad Pisones

" *Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor*

expo-

exponunt: poetam debere iudicium ſenſumq; ſuum re uel probanda, uel damnanda oſtendere. quorum opinio prorſus eſt reicienda: quippe quae imitationem maxime imminuat.

Si ergo (vt ad propoſitum reuertar) offendit, & ab arte diſcedere iudicatur poeta, cuius perſona frequenter & ultra illas occaſiones, quas narrauimus, loquitur, quanto euidentius grauiuſq; peccat in Epopoeia ille, qui ſe profitetur, & indicat? & poematis auctorem praedicat? quam rem facit hic Virgilius his primis uerſibus.

„ *Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena*
„ *Carmen, & egreſſus ſiluis vicina coegi*
„ *Vt quamuis auido parerent arua colono*
„ *Gratum opus agricolis, at nunc horrentia Martis*
„ *Arma, virumq; cano.*

quo genere gloriandi etiam vtitur in fine Georgicorum, ſic canens.

„ *Illo Virgilium me tempore dulcis alebat*
„ *Pathenope ſtudijs florentem ignobilis* ocl.

Certe Homerus in tam longo vtriuſq; fabulae carmine, aut alio, quod meminerim, poemate numquam, ne nutu quidem ſe indicat: ne dum auctorem poematum prodat: niſi forte in ſe iocatum eſſe velimus credere eo verſu.

„ Τυφλὸς ἀνὴρ οἰκᾶδε χίῳ ἐνὶ πεπαλοέσσῃ.

Hinc illa Varij & Plotij ad noſtrum poetam chirurgica ἐπικουρία.

hinc illa capitis amputatio.

At, obiciat aliquis: non ſolus, neq; primus Virgilius hoc fecit. Orpheus apud Graecos in ſuis Argonauticis quoties ſe oſtendit & canit? Ouidius apud noſtros, & certatim poſtea alij multi teſtimonio ſe ſuo legentibus produnt.

„ *Nil agit exemplum, litem quod lite diremit.*

reſpondeo ego. Deinde rationibus, non auctoritatibus in huiuſmodi diſceptationibus eſt pugnandum. ne ſileam, eſſe quidem Orphei nomen apud

Graecos

Graecos maxime celebre, & cum veneratione cantatum. qui tamen teſtimonio Dionyſij atq; Ariſtotelis nuſquam umquam fuit. Et quae Orphei nomine circumferuntur ſcripta carmina, ea ad alios certos referuntur auctores. quorum, aut cuiuſuis alterius praeſertim deterioris κόμματος adlatum teſtimonium non poteſt Epopoeiae uerecundiae neceſſariam imitationem uel tantillum labefactare. Ex his adlatis rationibus conſtant cauſſae ſublati a Vario & Tucca principij Aeneidis.

Statuamus igitur, quoniam Homerus, qui eſt exemplar Epopoeiae, fabulas perpetua (quantum quidem natura ipſius Epopoeiae patitur) imitatione peragit: neq; umquam ſe nomine aut indicio alio ullo oſtendit: quoniamq; illi poetae maxime commendantur, & boni poetae praedicantur, qui ad rationem poematum Homeri ſua poemata maxime conformant: quoniamq; hac in parte Virgilium uel neglectione, uel imprudentia, uel iudicio receſsiſſe praedicatione ſui nominis ab Homeri exemplo & a doctrina Platonis atq; Ariſtotelis, & ab artis Epopoeiae ratione Varius & Tucca animaduerterunt, idcirco quattuor illos uerſus iure ſuſtulerũt primos: Illud ſane miror, non eadem eſſe uſos animaduerſione in pari Virgilij licẽtia cum alibi fortaſſe, tum in illis verſibus, qui nunc occurrunt: quos ex perſona poetae ipſius, nõ ex perſona ficta dictos ut adponam argumentum huius diſputationis omnino poſtulat.

Libro igitur IV. Aeneidis ſic eſt.

„ *Heu uatum ignarae mentes: quid uota furentem,*
„ *Quid delubra iuuant?*

Eodem lib.

„ *Quis tibi tum Dido cernenti talia ſenſus?*
„ *Quos ue dabas gemitus? cum litora feruere late*
„ *Conſpiceres arce ex ſumma? totumq; videres*
„ *Miſceri ante oculos tantis clamoribus aequor?*

Lib. VII

„ *Nec tu carminibus noſtris indictus abibis*

» *Oebale.*

Libro IX

» *Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,*
» *Nulla dies vmquam memori vos eximet aeuo.*
» *Dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum*
» *Adcolet: imperiumq; pater Romanus habebit.*

Lib. X

» *Non ego te Ligurum ductor fortissime bello*
» *Transierim Cygne: & paucis comitate Cupauo.*

Eodem lib.

» *Hic mortis durae casum, tuaq; optima facta,*
» *Si qua fidem tanto est operi adlatura uetustas,*
» *Non equidem nec te iuuenis memorande silebo.*

Eodem lib.

» *Nescia mens hominum fati, sortisq; futurae,*
» *Et seruare modum rebus sublata secundis.*
» *Turno tempus erit, magno cum optauerit emptum*
» *Intactum Pallanta: & cum spolia ista, diemq;*
» *Oderit.*

Omnibus, inquam, in his locis hi uersus censuram eamdem meruerunt: quoniam nullam imitationis ne umbram quidem, sicut nec illi primi, habent. Sed fortasse emicans splendor orationis opportune ac decenter a longa imitatione alio conuersae uisa est L. Vario, & Plotio Tuccae digna dissimulatione, & uenia. Certe, ut Smaragdus in pala aurei anuli pulchritudinem reddit pleniorem & blandiorem, ita ibi eae conuersiones quantum studia legentium aut audientium expergefaciunt, excitant, & tollunt? & mistura priuati poetae sensus quantum adficit animos iam per se ipsos dolore aut laetitia commotos? ut quantum a praescripto artis hac libertate atq; audacia sit recessum, tantum ornamenti, adcessione huius Veneris & Gratiae sit ad orationem additum. optima igitur ratione (quamquam quo modo optima, ubi uritur aliquid aut secatur? &, si mala est medicinae curatio, ubi aliquid naturae perit, certe illa pessima,

ubi capiti) ſed tamen optima ratione Varius & Tucca amouerunt primos quattuor uerſus alienam ab imitatione Epici poetae profeſsionem & oſtentationem ſui indicati nominis continentes. optima (inquam tertio) ratione: ſi ubiq; uoluiſſent, aut potuiſſent, aut admoniti eſſent idem praeſtare. eo aut conſilio, aut facultate deſtituti debuerunt, ibi nihil audendo, ſuum poetae iudicium relinquere. Haec eſt mea de facto Varij & Plotij in hac parte opinio. Quod ad duas illas uoces adtinet „ *Arma Virumq;*, perſeuero in ſententia. Vocabulumque Arma ſuperuacuum omnino: & in duplici actione promittendo peccaſſe poetam iudico.

Amplius ſuperpondij loco addamus. Ab eadem, qua Virgilius, forma dicendi orſus eſt incertus ille poeta: quem Horatius a connexa continuataque inter ſe plurimorum librorum, & idem fortaſſe argumentum habentium congerie Cyclicum adpellat.

„ *Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.*

Etiam paruae Iliadis auctor, qui Staſimus putatur, ſimili exordio eſt uſus.

„ *ἴλιον ἀείδω, καὶ Δαρδανίην ἐρατεινήν.*

ut non adimendum ſit idem ius Virgilio, quod Cyclicus ille & Staſimus multo ante ſibi ſumpſerunt. praeſertim cum in Virgilij uerſu uerecundia ſit inluſtrior: qui duobus tantum uerbis his „ *Arma, Virumq;*, rem vnam demonſtrat: illi inciſis binis.

Quod adtinet ad confirmandum, unam tantum eſſe actionem Aeneidis, ad hoc teſtimonium etiam dicunt ueteres graues poetae.

(Propertium excipio: qui perſonam & rem coniungens, tradensq. non quid facere debuerit, ſed quid fecerit Virgilius, ſic ſcribit.

„ *Qui nunc Aeneae Troiani ſuſcitat arma.*

Sulpicius Apollinaris.

" *Iusserat haec rapidis aboleri carmina flammis*
" *Virgilius, Phrygium quae cecinere Ducem,*
Cornelius Gallus Virgilij iucundus sodalis.
" *Sed uetuit relegi, si tu patiere, libellum:*
" *In quibus Aenean condidit ore Sacro.*
ecce hic utrobiq. de Armis nihil: de Viro omnia.
Ne illa quidem opis Musae imploratio lib. vij. facta est a Virgilio ad noui uel diuersi operis exordium significandum. Sed quia maiora superioribus opera tractanda sequebãtur, quorum expositio etiam propter uetustatis longinquitatem, & propter uarios, obscurosq; casus & euentus ad explicandum, atq; ad fidem auctoritatemq. comparandum humani ingenij atq; industriae ui, & acumine uisa est altior atq; inpeditior, idcirco uersibus illis, qui supra positi sunt, subsidium poscit a Musa exemplo Homeri. cui ad recensendum nomina & numerum nauium, ducum, & copiarum, negocium multiplex, uarium, & uetustate prope obliteratum, ad opem numinis confugiendum fuit plusculis uersibus. quorum initium est.
" Ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.
quem morem saepe toto opere usurpat uterq. poeta in narrationibus uisis opem humana ope instructiorem postulare.
Quod ad duas illas uoces adtinet,, *Arma*, *Virumq.* perseuero in sententia. Vocabulumq.,, *Arma*, superuacuum omnino iudico.

Cum haec commentarer, forte adcidit, ut Antonius Trottus Bentiuolius patricius Alexandrinus domum ad me salutandi & uisendi gratia ueniret. Quod facit ille saepe grata recordatione memoriam conseruans meae in se erudiendo diligentiae: dum stipendia disciplinae nostrae cum laude & feliciter adolescens mereret. Serit ille uarios mecum sermones. & cum maxime se a me adtente audiri animaduertit, tunc a proposito data opera deflectens, laudare se ait, omnem uitae meae rationem una

re excepta . abuteris, inquit, Matti modestia : & in ea adhibenda extra modum nimium quantum exsilis & prodis: quasi consulto id facias : quo probes, non satis recte sentire Romanae eloquentiae atq. sapientiae principem ; qui nullam in modestia, quae est reliquarum uirtutum omnium gratissimum temperamentum, exsuperationem agnoscit : cum aliae omnes uirtutes medium sint inter duo extrema uitia. Dicam ἀμαθέςερον, καὶ σαφέςερον. Tu in utenda amicorum liberalitate modum adhibes adstrictum nimis & parcum . raroq; & quasi refugiens, ad tui cupidissimos adcedis. Abige quaeso ingratam mihi contationem istam . & inutilem uerecundiam hanc iube aliquando tandem longius ualere . & quae sunt facultatis & uirium mearum, omnia tibi ex locupletissimo penu meae uoluntatis iuuandi tui ample & audacter prome. Laudis ego auidiusculus sum . fateor enim ingenue uerum. Eam, si fortunas meas putabis tuas, &, si illis libere frequenterq. uteris, hauriam ex sincerissimo fonte largitatis mihi natura ingenitae, & usu auctae. Nulla est magis certa nec magis compendiaria ad gloriam uia, quam benefaciendi. Haec, & huiusmodi multa saepe mecum non gloriose & iactans, sed sentiens, disputat Trottus grauiter & docte : edens interdum signa dolentis animi, si quē sibi in desiderio gloriae certare animaduertat. ad quam semper spectans per parentis & patrui Excellentissimi & Sanctissimi uiri Guarnerij Trotti Bentiuolij huius ciuitatis Episcopi, & reliquorum maiorum uestigia pleno gradu alacriter incedit. quorum in sanctiore Larario, & per ampla atria expositas habet imagines:in quas intuens ad eorum exemplum se fingit & format. Et fortasse paucae hic familiae sunt (ut Bacienos, Capuanos, Ferrarienses, Florentinos, Fossanenses, Mediolanienses, Neapolitanos, Placentinos, Taurinenses, uniuersos a Castellatio Alexandriae oppido antiquo, & propter pomoerij amplitudinem

Cic. 1. Off.

&

& incolarum frequentiam urbis inſtar, oriundos praetercam) fortaſſe, inquam, hic in urbe plena nobilium exemplorum, tot probitatis, doctrinae, innocentiae, honorum, dignitatum, & imperiorum inſignia oſtentare poſſunt. quorum omnium uirtutes, & res magnifice geſtas perſequi ſcribendo operae maioris, & ocij, temporiſq diuturnioris impenſam poſtularet. Attamen Guarnerium Trottum Bentiuolium Praeſulem noſtrum uniuerſi uos nouiſtis, qua integritate, Deus bone? qua doctrina? qua ſanctitate? qua innocentia hominem?

Nondum agitur octauus annus, peracto cenſu a Quaeſtoribus Regijs, relata ſunt equitum grauis armaturae inuenta capita LX. ex gente Trotta. Vix ſingulae ciuitates, ſeuera exactione, turmam unam poſſunt conficere. una gens Trotta duas dedit.

Ominemur bene manibus Facini Canis: qui capta per proditionem Alexandria ingentem ubiq., ſed inſignem in familia Trotta ſtragem dedit, imitatus Ioannis Narbonenſis Comitis Armeniaci facinus, qui paullo ante idem, ſed re infecta, tentauerat. Quippe cuius uniuerſus exercitus Iacobo Verminenſi duce ab Alexandrinis, ante urbis moenia, aequo & aperto campo, ducentibus copias Trottis, quas multas & bellicoſas coegerant ex clientelis, quae illis fuerunt in patria, & alibi, captis Ducibus occidione occiſus eſt. Ex hac gente ab hinc CD. annis, & amplius exſtiterunt tota Italia plurimis annalium atq. hiſtoriarum monimentis celebrati, Iuris periti ab omnibus Italiae gymnaſijs certatim ad ſe magnis praemijs uocati, Oratores, Philoſophi, Scriptores in omni idiomate & facultate docti & eloquentes, Magiſtratus, Centuriones, Tribuni militum, equitum grauis & leuis armaturae Praefecti, magnarum copiarum Duces, ampliſsimarum tota Italia ciuitatum Rectores, Supremi cum imperio & poteſtate exercituum imperatores, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Hieroſoly-

rosolymitani atq. aliorum ordinum & religionum Equites, Comites, Proreges, Principum ac Regum Vicarij, Procuratores Regij a Gallis Marescalchi adpellati, a Secretis, & Consiliarij, Legati ad maximos Reges, Respublicas, Imperatores, & Pontifices Max. Rinaldi, Petri, Roberzoni, Francisci, Andreini, Cabrij, Cabrieles, Ioannes Galleacij, Boni Ioannes, Antonij, Andreae, Baptistae, Galleacij, Manfredi, Facini, Garganisij, Ioannes, Ioannes Aloysij, Marci, Aloysij, Matthaei, Balthessares, Bernardi, Luchini, Franceschini, Bernardini, Friderici, Ioannes Christophori, Ricardi, Nicolai, Alberti, Lanciloti, Ioannes Iacobi, Ioannes Augustini, Camilli, Sfortiae, Guarnerij, Ludouici, Ioannes Baptistae, Luciani, Horatij, Sertorij, Tullij Claudij, Aymoneti, Nicolai, Alexandri. Ad reliquorum ueterum Trottorum enumerationem, qui alicuius uirtutis laude nomen sunt consecuti, libenter adcederem. sed uideor uidere, sisti mihi ante oculos centum capitum beluam: ad quam domandam & conficiendam imploranda est opera atq. auxilium Iolai alicuius quem dum mihi prouideo. Interea hic aliquot uiuentes recensebo.

Floret nunc Antonius Trottus Bentiuolius Fresonariae Dominus. de quo supra diximus, & paullo post latius dicemus.

Est cum fratre Comes Ludouicus Trottus Bentiuolius uirtutibus morum atq. naturae ornatissimus, magnificentia & animi altitudine magnis regibus comparandus. qui tunc se diem perdidisse dolens praedicare solet, in quo non aliquem re aut opera subleuarit sua.

Clarus est in scientia & exercitatione armorum Galleacius pater, & Aloysius filius Trotti Bentiuolij, qui Philippo Regi inuicto firmissimis nunc Italorum, nunc Germanorum copijs, omnibus in bellis, ubicumq. illa gerantur, Tribuni militum strenuam, fidelemq. operam nauant.

Alber-

Albertum occupat res nō tam familiaris, quam publica: quam non habet fortunis ſuis inferiorem.

Aymonetus Trottus ueteranus centurio, qui multis emeritis ſtipendijs, annis & auctoritate uirtute parta grauis incedit.

Alexander in ſubalpinis Liguribus contra Sabaudienſes, qui ſeditione facta ab Duce Carolo Emanuele, ſumptis armis rebellauerunt, ſecutus fidem Ioannis Thomae Valpergae Comitis Maſini mei ueteris patroni ſtipendia cum honeſtis titulis meret.

Lucianum Dux Sabaudiae intellecta eius in armis prudentia & robore ad ſe euocauit honore & ſtipendio centurionis decoratum.

Antonius, Ioannis Augu[illegible] filius, grauis armaturae Eques.

Franciſcus Bernardinus grauis armaturae Eques.

Alexander Iuris peritus in curia & foro operam praeſtat adſiduam & fidelem.

Ioannes Nicolaus Iuris peritus, latine graeceq. eruditus, qui Muſam Homeri docuit non minus latine, quam graece canere, fortunas ſuas ſaepe adcuſat: quarum procuratione interdum a ſtudio doctrinarum, quas a puero adamauit, inuitus & maerens abſtrahitur.

Multi quoq. alij ſe mihi offerunt. ſed fidei meminiſſe debeo, quam initio dedi, cum breuitatem promiſi. Attamen iniurius mihi ipſe ſim, niſi cum Ioanne Baptiſta filio Iureconſulto ſemper in honeſtiſsimis aduocationibus occupato, cui a puero ſenilem auctoritatem ſingularis prudentia comparauit, Camillo patri Mediolanij Regio Senatori, ornamento & columini ſanctiſsimi illius ordinis, ad quem per omnes gradus, duce uirtute, conſcendit, muſarum patrono, meiq amantiſsimo hic in fine recenſionis honeſtiſsimum locum tribuam. Conſulto ſedem hanc illi reſeruauimus, imitati peritiſsimorum Ducum conſuetudinem: qui fortiſsimo cuiq. militi poſtremum in acie adſignant locum.

Claudat igitur Camillus Caſtellacius Trottus tamquam Triariorum Primipilus nobiliſsimum Trottorum agmen. ominemurq. & precemur: ut, quem honorem illi uirtus ambit & parat, eum uiuente & laetante Mattio conſequatur. Sed ad Antonium reuertamur.

Ille in animaduerſione mea in primos IV. principij Aeneidis Virgilij uerſus, quos egere conrectione dicebamus, quantũ ſpecimen doctrinae & iudicij nunc nuper dedit? Vbi laudata & probata prius opera & ſenſu meo lamentari grauiter coepit & miſerari iniquam ſortem Virgilij. cui, ſicubi forte laborare uideatur, ſtatim curioſi atq. acres animaduerſores plurimi inſurgant. qui non contenti ſuo iudicio (illudq. plerumq. praeceps eſt, & temerarium) alijs etiam indicant & produnt. cum interea patronus & adiutor adparet nemo. nemo opitulatur. nemo poetae cauſſam ſuſcipit. Tu autem Matti tantus tanti poetae admirator & praedicator non ades? non illum delicias tuas defendis & foues? An miſereri ſatis eſt, ſecurum reliqui? Quin tu totius mentis atq. animi intentione cogita & excogita. Tentatum quidem caput eſt a graſſatoribus, non abſciſum tamen. nec iacet omnino exſangue & examinatum cadauer. Spiritus ineſt. ſpes ſit. Tu, ſi forte prouincia iſta fidei & iudicio mandetur tuo, quid hic agas? quid conſilij capias? Ecquid audeas tua cura dignum? dignum poeta? dignum tuo in illum ſtudio, & caritate? Nihil, ἦν δ' ἐγὼ, poſt tot ſaecula, & poſt tot doctorum uirorum hic conniuentes (ne grauiore uerbo utar) oculos tentem, aut audeam. Arbitror tamẽ eoſdem Varium & Tuccam nobilius quiddam in ea cenſura fuiſſe conaturos: niſi impoſitae ſibi ab Auguſto legi parendum eſſe omnino ſtatuiſſent: quae demendi tantum, quod non probaſſent, dabat, mutandi aut addendi adimebat facultatem. Equidem, niſi haec conditio ſui eos officij admonuiſſet, arbitror librum ſic inchoaturos fuiſſe.

„ Dic

„ *Dic mihi Muſa Virum, Troiae qui primus ab oris*
„ *Italiam fato profugus Lauinaq. uenit*
„ *Litora.*

Si ſic eſſet inchoatum, integra atq. egregia emicuiſſet principij Odyſſeae Homeri aemulatio. & vno Viri uocabulo, vt facit etiam Homerus, cum dicit.

„ Ανδρα μοι ἔννεπε μόυσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ Πλάγθη.
„ *& reliq.*

actionem operis propoſuiſſet: & plene legi Epopoeicae eſſet obtemperatum.

At, inquiet aliquis, imploratio numinis bis fieret primo

„ *Dic mihi Muſa Virum:*

Deinde

„ *Muſa mihi cauſſas memora.*

At, reſpondebit alius, ſic eſſet Virgilius Homerum imitatus: qui & ipſe, & quidem pari cum Virgilio xı. uerſuum numero bis idem facit, cum ſic canit initio, Odyſs.

„ Ανδρα μοι ἔννεπε μουσα πολύτροπον.

& deinde

„ Τῶν ἁμόθεν γε θεὰ θύγατερ διὸς εἰπὲ καὶ ἡμῖν.

Quilibet conferens hoc noſtrum principium cum prooemio Odyſſeae non ſolum agnoſcet abſolutam aemulationem, ſed etiam perſpiciet, inſignem decorem, adiumentumq., atq. adeo integram incolumitatem aegre habenti principio Virgiliano fuiſſe adlatam.

Idem Antonius, etſi honorificam optabilemq. ſortem fatetur eſſe, cenſeri & praedicari laude & virtutibus maiorum ſuorum, tamen iudicat miſerum eſſe & infirmum praeſidium, habere rationes exiſtimationis, & gloriae a parentibus, & auis ſuſpenſas, & de illorum fama totos pendere. Ipſe ſuae ſe gloriae auctorem, ſe ex ſe ipſo aeſtimari vult. Hanc ille eſſe ueram, ſolidam, & firmam gloriam iudicat. Ad hanc non hereditariam, ſed proprie ſuam intento animo ſemper conlimat & ſpectat. Huc omnes ſuas

cogitationes intendit. Et dum adolescit aetas & adcedentes anni ad excellentiores artes, & ad studia negociaq. grauiora viam sternunt & parant, quod habet a cura rerum domesticarum temporis reliquum, illud cum in equitando & uenando, ludicrisq. certaminibus: tum in historiarum ueterum & nouarum monimentis lectitandis ponit. Inde locupletem & inlustrem copiam exemplorum ad uitam instituendam & colendam sumit. Audit & me saepe priuatim & publice docentem. Sodalibusq. & comitibus praedicat, nihil esse uiro nobili doctrina honestius, seq. a me semper auctiorem laetioremq. discedere. Quam facultatem ut etiam longius absens habere possit, orat atq. obtestatur: ut quam primum hae commentationes meae in communem quidem omnium, sed maxime in priuatã utilitatem suã publicentur & exeant. vnde, tamquam a mutis magistris semper possit honestissimae frugis lucrum legendo facere. Hilari & prompto animo pollicitus sum (quid enim roganti & efflagitanti Antonio negare Mattius potest?) & nunc me fide libero. Vos meae Vigiliae exitis, utinam felicibus, faustisq auspicijs: certe docti atq. amici Antonij iudicio, & testimonio comitatae & commendatae.

Incohauimus a poetis narrationem hanc. eamdem determinandam Iurisperitis mandemus.

Bartholus scribens ad legem primam D. de Pactis, dum per oppositionem inlustrare conatur definitionem Pacti traditam a I. C. in haec verba.

„ *Pactum est duorum plurium ue in idem placitum & con-*
„ *sensus*, Opponit,

male interpositam copulam illam „ Et. quia Placitum & Consensus idem sunt. interponi autem copulam inter diuersa, respondet: figurate locutum fuisse I. C. Ac perinde ita esse sumendum Placitum & Consensus, ac si dictum fuisset, Placitus consensus, subdens. Ex quo nota, quod quandoq. copula cadit inter duo: quorum vnum de necessitate idest alteri.

teri. & tunc illa duo resoluuntur in vnum, sicut Adiectiuum alterius. ut in Virgilio.,,. Arma, Virumq. cano, idest Virum armatum. Sed Bartholus fuit fortasse Iuris, quam Grammaticae peritior. Si tamen huiusmodi expositionis ipse auctor fuit. namq. multi alij idem tradiderunt. Fortasse locum habebit in eiusdem poetae uersu lib. XI

,, *Arma, Virumq. ferens. id est Virum cum armis ipsis.*

Addendum etiam hoc est. τὸ At, in illo uersu, At nunc horrentia Martis Arma, Virumq. cano, παρέλκει, & superuacuum est. Idem adcidit simili & eiusdem sensus particulae,,. Sed, in fine prooemij Rhetoricorum ad Herennium.

,, *De re dicere incipiam. Sed si te prius admonuero: Ar-*
,, *tem sine exercitatione dicendi non multum iuuare.*

DONATVS DEFENSVS.
Odysseam prius, deinde Iliadem ab Homero scriptam.

Cap. V

MAle accipiunt nonnulli haec auctoris uitae Virgilij, quae a multis Donato uindicatur, uerba.

,, *Nouißime Aeneidem adgressus, opus va-*
,, *rium & multiplex, & quasi amborum*
,, *Homeri carminum instar.*

Arbitrantur, Donatum his verbis tribuere Aeneidi actiones duas: Errorum scilicet & Belli. Sed falluntur. Laudat Donatus frugalem, instructam tamen omni copia & instrumento absolutae eloquentiae Virgilij breuitatem. qui, quod Homerus duobus poematis est persecutus, ipse uno poemate & librorum multis partibus pauciore numero, & Actione una sit complexus, seruato Homeri ordine: cui iudicio doctorum uirorum Odyssea, non Ilias fuit prior lucubratio.

EXPOSITA VARIE
duo Virgilij loca.

Cap. VI

Progeniem ſedenim Troiano a ſanguine duci
Audierat: Tyrias olim quae verteret arces.
Hinc populum late regem, belloq. ſuperbum
Venturum exſcidio Libyae. Sic voluere parcas.

Verſus Virgilij ſunt ex Aeneid. lib. 1. omnibus noti. in quorum expoſitione diuerſi abeunt docti uiri. Hic (vtinam, inquit Cotta apud Ciceronem) tam facile uera inuenire poſſem, quam falſa conuincere. Nec mihi quemquam arguere in animo eſt. Quae traduntur a ueteribus & nouis Virgilij interpretibus omnibus ſunt obuia: & nulla fere eſt inter eos controuerſia. Aliquot alij ὁδοῦ πάρεργον huc aliquid contulerunt. Ex quibus Panuini uerba ſuperuacaneum eſt ponere: quoniam uniuerſa ad uerbum tranſtulit ex Sigonio. qui caute & ſapienter ſic ſcribit in libro de Nominibus.

Aemilii ab Aemilio Aſcanij Troiani filio, ut ait Feſtus. Cui rei forte adluſit Virgilius cum ait.
Progeniem ſedenim Troiano a ſanguine duci
Audierat, Tyrias olim quae uerteret arces.
Hinc populum late regem, belloq. ſuperbum
Venturum exſcidio Libyae. ſic uoluere Parcas.
Et enim progeniem Aeneae & Iulij uocare uidetur Scipionem Paulli Aemilij filium: qui Imperator Carthaginem exſcidit. Populum autem legiones Romanas: quae ab iiſdem etiam genus trahebant. Alioquin, ſi progeniem & populum idem dicat, ſuperuacanea uideatur iteratio. Nihil tamen contra ueteres adſirmo. Alij iudicabunt.

Plu-

„ *Plutarchus autem Aemilios a filio quodam Pythagorae*
„ *Mamerco dictos ait. qui summo lepore praeditus fuit:*
„ *quae Graecis αἱμυλία dicitur.*

Laudo pudentis prudentisq. uiri uerecundiam homini ingenitam, & moribus nimium quantum auctam. Alij uocem illam „ Hinc, in hoc versu, „. Hinc populum late regem, belloq. superbum „ Venturum exscidio Libyae, non exponunt a Troiano sanguine, sed Aduerbium ordinis faciunt: & pro Deinde accipiunt. Neq. Exscidio Dandi, aut Octauum casum pro ad exscidium: sed Ablatiuum esse iudicant: & exponunt Exscidio, ab exscidio: perinde ac si diceremus. Deinde post exscidium Carthaginis, uel etiam propter exscidium Carthaginis populum uenturum, idest euasurum late regem, belloq. superbum & inlustrem. Sic primis duobus uersibus ruina Carthaginis praedicetur. qua, stante nomen & opes Romani imperij numquam fuerint futurae tantae. Sed tentari haec quoq. interpretatio potest rationibus, quas alijs excogitandas relinquo.

Iul. Caes. Scalig.

Posset aliquis putare duo posteriora carmina non ad Carthaginem pertinere, sed ad plura regna eius partis Africae, quae Romanis usq. ad Atlanticum Oceanum sunt postea adquisita. si tamen haec quoq. cura tetigit, solicitamq. habuit Iunonem. Quod ad locutionem pertinet „ Venturos exscidio, Iulius Scaliger uir plane singularis, nisi filium reliquisset Iosephum uirtutum patris feliciter aemulum, lib. IV cap. XVI. Poeticae sic scribit.

„ *Venturum exscidio Libyae locutio non vulgaris, eodem filo,*
„ *quo dicimus, Venire subsidio, aut auxilio. Neq. recte*
„ *Seruius interpretatur, ad exscidium: hoc enim langui-*
„ *dum. neq. uenturum significat motum, sed tempus tan-*
„ *tum: aeque ac si dicas, futurum exscidio, id est exitio.*

Ibidem.

„ *Id metuens, ueterisq. memor Saturnia belli*
„ *Prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis.*
„ *Necdum etiam caussae irarum, saeuiq. dolores*

„ Exci-

„ *Exciderant animo. manet alta mente repostum*
„ *Iudicium Paridis, spretaeq. iniuria formae:*
„ *Et genus inuisum: & rapti Ganymedis honores.*
„ *His adcensa super iactatos aequore toto*
„ *Troas relliquias Danaum, atq. immitis Achilli*
„ *Arcebat longe a Latio. multosq. per annos*
„ *Errabant acti fatis maria omnia circum.*
„ *Tantæ molis erat Romanam condere gentem.*

Principium septimi uersus est instauratio supra dictarum causatum,; & quasi epilogus. in qua figura frequens est Cicero. Namq. post plures enumeratas rationes inferre solet, Ob eas res, uel, Ob eam caussam: ut alias huiusmodi formas illi usitatas praeteream. Sic hoc in loco apud Virgilium uerba haec. „His adcensa super; enumerationem supra dictarum rationum complectuntur: Vt iam de obscuritate ulla aut soloecophane ullo amplius suspicandum non sit.

Quod autem ad iudicium Paridis de Iunone pertinet, Suidas in uoce Πάριον tradit: Paridem Veneris encomiū fecisse: in quo Deam hanc Iunoni atq. Mineruae anteferret. Inde occasionem fabulae esse apertam.

QVI EX INFERIS AD SVPEROS REDIERINT.

Cur Saturnus de caelo venisse sit dictus.
Latium, & Albula vnde dicta.
Troia quinquies capta.

Cap. VII

„ *SI fratrem Pollux alterna morte redemit:*
„ *Itq. reditq. uiam toties: quid Thesea? magnum*
„ *Quid memorem Alciden?*

Ad hos tres a Virgilio lib. VI. celebratos, qui ex inferis sedibus ad superos reditum sortiti sint, addantur ex Diodoro Siculo

Peri-

Perithous cum Theseo, & Cerberus ab Hercule ui abducti. Semelem matrem Dionysius a patruo Plutone: Sisyphus a Proserpina suauitate orationis reditum inpetrarunt.

Libro viij.

» *Primus ab aethereo uenit Saturnus Olympo*
» *Arma Iouis fugiens, & regnis exsul ademptis.*

Ad ea, quae a nonnullis tradita sunt de Saturno Iani, quem Noam dixerunt, filio: & quemadmodum regno pulsus a Ioue filio uenerit ad Ianum patrem in Italiam, uisum est non alienum a uerbis poetae adponere uerba M. Minucij Felicis ex dialogo, qui inscribitur Octauius: quae sunt haec.

» *Terrae enim & Caeli filius, quod apud Italos esset ignotis*
» *parentibus proditus, ut in hodiernum, inopinato uisos*
» *caelo missos: ignobiles & ignotos terrae filios nomi-*
» *namus.*

Quod uero Virgilius & Minucius cum alijs multis dicunt, Italiam a Saturno adpellatam Latium, quod ibi tuto latuerit, id omnino a ueritate discedit. Nam cum Lateo uerbum Latinam sit, Latina autem lingua multis saeculis post Saturnum originem habuerit, qui fieri potest, ut uerbum nondum natum alterius uetustioris sit parens? Sed scriptores ex libidine huiusmodi deriuationes fingunt. Vt Iurisperitis & Grammaticis condonanda sit licentia: qui Testamentum dicunt testationem mentis: Sepulcrum, quod sit sine re pulchra. cum illud sit ut armamentum, & ornamentum & condimentum: hoc ut Fulcrum, simulacrum, & lauacrum.

Idem adcidit uocabulo Albula: quo nomine olim dictus est Tiberis, uoci uetustiori Latino sermone, Aramaeae scilicet. falsu. uide Plinium.

Lib. IX

Bis captam Troiam scribit idem Virgilius eo uersu lib. IX

» *Bis capti Phryges.*

At enim Plutarchus in Sertorio ter captam tradit. & quidem

quidem equorum occaſione ſemper. Primo ab Hercule ob equos, quibus a Laomedonte erat defraudatus. iterum ab Agamemnone per equum Durataeum. tertio a Charidemo duce Cerioblepta regis Thraciae, equo, qui in aditu portae conſtiterat, impediente, ne Ilienſes portam foribus obcluderent. Addatur captam quarto ab Amazonibus. poſtremo a Fimbria (quamquam id a Rutulo obiectari tunc non poterat,) cuius rei hiſtoriam lege apud Appianum Mitridatico.

Lib. x

Seruius in eum Virgilij uerſum lib. x

„ *Corytiq. leues humeris, & letifer arcus.*

Corythum eſſe ſcribit,, thecam arcus, quamquam & ſagittarum etiam. In Nonio duplex eſt lectio. nam Coriſci, & Corici ſcribitur. Traditq. ille, eſſe leue miſsile in modum ſagittarum. adfertq. ad id probandum hunc Virgilij uerſum.

Ioannes Diaconus in Clypeum Heſiodi γωρυτὸν ſcribit: & deducit ἀπὸ τοῦ γῶ τὸ χωρῶ, καὶ ῥυτὸν, τὸ ἕλκυσον, ἤγουν τὸν τόξον.

EGREGIAM APVD VIRGILIVM figuram lib. xij. non animaduerſam: locumq. perperam expoſitum ab interpretibus. Ciceronis locus Philippica x. expoſitus.

Cap. VIII

EST in uerſibus, quos adponam, Virgilij lib. xij. inſignis figura: quae a nullo ex interpretibus animaduerſa in cauſſa fuit: ut recte locum non ſint interpretati.

„ *Interea reges: ingenti mole Latinus*
„ *Quadriiugo uehitur curru: cui tempora circum*
„ *Aurati bis ſex radij fulgentia cingunt*
„ *Solis aui ſpecimen. bigis it Turnus in altis*

„ *Bina*

» *Bina manu lato crispans hastilia ferro.*
» *Hinc pater Aeneas Romanae stirpis origo,*
» *Sidereo flagrans clypeo, & caelestibus armis,*
» *Et iuxta Ascanius magnae spes altera Romae*
» *Procedunt castris.*

Seruius, quod etiam Donatus, & postea alij interpretes senserunt,

» *Longum (inquit) Hyperbaton. nam ordo est. Interea*
» *Reges procedunt castris. cetera enim per Parenthesim sunt dicta.*

Fallitur sine dubio Seruius. Etiam Beda in eodem prope errore est.

Non animaduerterunt, haec uerba „ Procedunt Castris ad solos Aeneam atq. Ascanium referri: qui uere ex castris processerunt. Latinus autem & Turnus ille uehebatur, hic ibat ex urbe. Est autem Oratio per Prolepsim elata figuram Graecis atq. Latinis perinde eleganter usurpata. Sic idem poeta lib. XI

» *Exclusi ante oculos, lacrimantumq. ora parentum*
» *Pars in praecipites fossas, urgente ruina*
» *Voluitur: immissis pars caeca, & concita frenis*
» *Arietat in portas.*

Liuius.

» *Duae maximae res, altera alteri defuit.*

Idem.

» *Duo ordinarij consules, alter morbo, alter ferro perijt.*

Idem.

» *Quos pop. Romanus consulem alterum, alterum Praetorem*
» *declarauit.*

Caesar lib. I. belli Gallici.

» *Duae filiae, harum altera occisa, altera capta est.*

Cic. Philippica X

» *Equitatus, qui in Syriam ducebatur, bipartito, alter eum,*
» *a quo ducebatur, reliquit in Thessalia; seq. ad Brutum*
» *contulit: alterum in Macedonia Cn. Domitius adole-*
» *scens summa uirtute & constantia ab legato Syriaco*
» *abduxit.*

Macrobius lib. VI. cap. VI. Saturnal. ad hos uersus Virgilij uidit aliquid: sed non quantum oportuit. Quod uero ad uerba Philipp. Ciceronis X. adtinet, operae pretium est adpendicem addere. Equitatus ibi est singularis Rectus casus, non pluralis: ut putabat Budaeus in comment. linguae Graecae. ob idq. ducebantur non ducebatur legit. quod factum mihi minime probatur.

Primum a uetere scriptura nō est temere recedendum. deinde boni auctores cum de equestribus copijs agunt, equitatum non equitatus dicere, idest singulari numero uti solent, non plurali.

Quod porro dicit Virgilius, „ cui tempora circum Aurati bis sex radij fulgentia cingunt, solis aui specimen: numerus XII. radiorum coronae Solis est adtributus propter XII. signa Zodiaci: per quae percurrens Sol annum conficit mensium XII. Huiusmodi diadematum formam, unde acutae pyramidali figura pinnae tamquam radij emicant, est uidere in antiquis Regum atq. Imperatorum aereis, atq. argenteis nummis.

DE LVDIS AB AENEA AD ACTIVM *celebratis. Leucata. Ambracia. Nicopolis. Suetonius inlustratus.*

Cap. IX

MOs fuit antiquis ducibus: ut perfuncti cum incolumi exercitu periculis, Dijs, Iouiq. Seruatori in primis, sacrificijs factis, uotisq. persolutis gratularentur: & uario ludorum genere exhilarati miseriam praeteritorum incommodorum communi laetitia diluerent & obruerent. Id plane docemur a Xenophonte ultimo libro quarto Anabaseos his uerbis.

» Καὶ ξένια καὶ παρ᾽ ἐκείνων ἦλθον βόες, ἀποθῦσαι τῷ Διὶ τῷ σω-
» θῆρι καὶ τῷ ἡρακλεῖ ἡγεμοσυνα; καὶ τοῖς ἄλλοις δὲ θεοῖς
» ηὔξαντο. ἐποίησεν δὲ καὶ ἀγῶνα γυμνικὸν ἐν τῷ ὄρει, ἔνθα
» περ ἐσκήνουν.

& paullo post.

» ἠγωνίζοντο δὲ παῖδες μὲν στάδιον. Τῶν αἰχμαλώτων οἱ πλεῖ-
» στοι δόλιχον κρῆτες ἢ ἑξήκοντα ἔθεον.

Hinc Virgilius lib. iij. Aeneidis occasionem celebrandi ludos ab Augusto ad Actium post uictos ibi Antonium & Cleopatram editos accepit his uersibus.

» *Ergo insperata tandem tellure potiti*
» *Lustramurq. Ioui, votisq. incendimus aras.*
» *Actiaq. Iliacis celebramus litora ludis.*
» *Exercent patrias oleo labente palestras*
» *Nudati socij. iuuat euasisse tot urbes*
» *Argolicas: mediosq. fugam tenuisse per hostes.*

In quorum explicatione Seruius decipitur, cum scribit.

» *Leucatae mons est altißimus in promontorio Epiri iuxta*
» *Ambraciam ciuitatem: quam Augustus Nicopolim ad-*
» *pellauit uictis ibi Antonio & Cleopatra. Ibi & tem-*
» *plum Actio Apollini constituit, & ludos Actiacos.*

& paullo post idem Seruius.

» *Actia litora*] *ut supra diximus, propter Augustum haec*
» *dicit: qui ludos illic statuit Agonales.*

Fallitur, inquam, Seruius. Neq. enim uerum est, Ambraciam esse eam urbem, quam Augustus Nicopolim adpellauit. Namq. Ambracia alia est a Nicopoli. & utraeq. urbes adhuc manent: longoq. plurium millium passuum interuallo utraq. ab altera disiuncta est. Nicopolis est in ipso sinus sinistro ore. Ambracia in ultimo sinu. Nicopolis nunc Preuesa dicitur. Ambracia nunc est L'Arta.

Duo autem promontoria quattuor tantum stadiorum interuallo inter se distantia longis angustijs ingens mare medium admittentia sinum Ambracium faciunt. Actium promontorium a dextra ingredientibus nunc Cauo Figo dicitur. In eó est urbs eodem olim cũ promõtorio nomine, nũc Alcippo dicta. A sinistra est alterũ promontorium: in quo est Nicopolis.

Sic Eusebius olympiadis CLXXXVII. anno V

» *Nicopolis iuxta Actiũ cõdita et Agon Actiacus cõstitutus.*
Hic initio Caesar Castra habuit, sicut in Actio Antonius.

Neq. etiam uerum est, Augustum constituisse Apollini templum & ludos Actiacos ad Nicopolim. Constituit ille ad Actiũ urbẽ in promõtorio Actio e regione urbis Nicopolis, quae est in altero promõtorio, ut est dictum. Quamquam nec templum nec ludos hos in Actio constituit Augustus: amplificauit ille, & magnificentius exornauit. Antiquissimi enim illic ludi fuerunt cum templo Apollini Actiaco consecrati auctore Strabone lib. vij. sic tradente.

» Ηγετο δὲ καὶ πρότερον, τὰ Ακτία τῷ θεῷ στεφανίτης ἀγὼν ὑπὸ
» περιοίκων. νῦν δὲ ἐντιμότερον ἐποίησεν Καῖσαρ.

Et Suidas in Ακτία.

» Ακτία ἀγὼν παλαιὸν ὡς Καλλίμακος ἐν τῷ περὶ τῶν ἀγωνῶν
» δῆλον ποιεῖ.

Alios quoq. quinquennales ludos, ut dictum est, ampliato uetere Apollinis templo ad Nicopolim constituit Augustus Apollini quidem, sed non Actiaco. Diuersum est enim templum Apollinis ad Nicopolim a templo Apollinis ad Actium. Suetonius (ut interim praeluceamus lecturis haec eius uerba in Augusto) silentio praeteritis ludis Actiacis, & Apollinis ibi templo, tantum conditae urbis Nicopolis, & constitutorum ibi ludorum ad ampliatum ibidem templum Apollinis mentionem facit. Quod uero quincto quoq. anno celebrarentur ludi Actiaci, quemadmodum, & ad Nicopolim, non tertio, ut putat Stephanus de urbibus in Ακτία, probant duo Graeci scriptores Dio & Strobo. Verba Dionis lib. LI. non pono. interpretis illius ponam. quoniam in praesentia Graeci libri copia non est.

» *Eadem die Caesar Apollini, qui apud Actium colitur, etcet.*
» *ludos musicos, & gymnicos, & certamen equestre*
» *cum sacro quinquennali etcet. constituit, Actiacos lu-*
» *dos illos dicens.*

Strabo

Strabo lib. vij

„ Ἀποδέδεικται δ᾽ ὁ ἀγὼν ὀλύμπιος τὰ Ἀκτία ἱερὸς τοῦ Ἀκτίου
„ Ἀπόλλωνος.

Quoniam autem Latinus interpres Strabonis egregie ſitum ſinus Ambracij deſcribentis, ſententiam non adſecutus Graecae orationis, omnem corrumpit ueritatem hiſtoriae, quod toto opere frequenter facit: & hic ſibi fingit urbium nomina, quae numquam fuerunt. inducitq. ſenſum a Strabonis mente & a ueritate hiſtoriae longiſsime remotum, non ab re erit adponere graeca uerba: quae legentem latinam interpretationẽ admoneant, ut a fraude caueat.

Graeca haec ſunt.

„ Ἐν ἀριστερᾷ δὲ ἡ Νικόπολις: καὶ τῶν ἠπειρωτῶν οἱ Κασσοπαῖοι
„ μίχρι τοῦ κατὰ Ἀμβρακίαν. ὑπέρκειται δὲ αὐτη τοῦ μοιχοῦ
„ μικρὸν τόλγου τοῦ Κυψέλου κτίσμα. Παραρρεῖ δ᾽ αὐτὴν ὁ
„ Ἄρατθος ποταμὸς ἀνάπλουν ἔχων ἐκ θαλάττης εἰς αὐτὴν
„ ὀλίγων σταδίων.

Latini uero interpretis haec ſunt.

„ *Siniſtra uero Nicopolis eſt, & Epirotarum colonia Caßiopaei, uſq. in ultima ſinus Ambracij. cui ſuper imminet paulliſper a ſinu diſtans Tolgus. Cuius memoriam Cypſelus ſtruxit. Praeter eam labitur Aratthus Fluuius. per quem a mari ad ipſum Tolgum paucis admodum ſtadijs aduerſa nauigatur aqua.*

Ego ſic uerterem.

„ *Siniſtra uero Nicopolis eſt: & ex continenti Caſſopaei uſq. Ambraciam. Haec autem condita a Tolgo Cypſeli filio modico ſupra ſinum ſpacio eſt ſita. Iuxta eam labitur Aratthus fluuius habens a mari ad ipſam urbem aduerſo flumine breuem paucorum ſtadiorum nauigationem.*

Hinc perſpicitur, quot paucis uerbis monſtra edita ſint a tot hominibus: qui in eo uertendo, ne euertendo dicam, laborauerunt.

LOCRI PLURES. VIRGILII locus declaratus aliter atq. Seruus facit. Strabonis locus restitutus.

Cap. X

CUm constet inter scriptores, Locros Italicos a Graecis Locris esse oriundos, tamen controuersia est, quibus Graecis Locris (plures enim diuisi certis limitibus sunt in Graecia Locri) Locros Italos uindicemus. Nos hic breuiter de uniuersis quaedam opportuna adferemus: quae melius Seruio inlustrabunt uersum Virgilij. In qua occasione ueram lectionem Straboni paruo negocio reddemus.

Locri igitur in Graecia quadruplices fuere. Primi Epicnemij, qui Epicnemidij, & Epicnemidae, & olim Leleges dicti. Alteri Opuntij: Tertij Ozolae, qui & Hesperij: Quarti Elei.

Epicnemij a Cnemide monte dicti ultra Parnasum Oeteos & Malienses adtingunt. Opuntij ab Opunte ipsorum metropoli dicti, ipsi quoq. ultra Parnasum incolentes, fretum Euboicum propius spectant. habentq. inter alias urbes Narycum, quae etiam Narycion, Naryx, & Naryce dicitur. Ozolae citra Parnasum & Doriensium Tetrapolim Crissaeum sinum, qui & Corinthiacus dicitur, sedes habuerunt. Ozolis nomen ferunt dedisse teterrimum putorem (ὄζειν enim etiam putere significat) exhalantem ex tabo Nesi & aliorum Centaurorum defluente ex Taphosso monte, ubi conditi erant, in subiacentes campos. Hi Hesperij etiam dicebantur uel a regione ipsa: occasum enim, si reliquorum Locrorum situm respicias, spectant: uel quod publice signabant anulo, cui Hesperi stellae effigies erat insculpta.

Elei Locri in Elea Peloponnesi ab Opuntijs Orti obscu-

ſcuriore fama fuerunt. Paullo tamen aliter tradit Scholiaſtes Pindari Oda viij. Olymp. ad finem ſic ſcribens.

» Εθνη λοκρῶν εἰσὶ τρία. Επιζεφύριοι πρὸς τῇ Ιταλία: Ο'ζόλαι
» πρὸς. τῇ αἰτωλία: Ε'πικνημίδιοι πρὸς τῇ Ευβοία.

Alius ſcholiaſtes in eumdem Pindarum Oda ix

» λοκροὶ Επιζεφύριοι: λοκροὶ Επικνημίδιοι: λοκροὶ Ο'πούντιοι:
» λοκροὶ Ο'ζόλαι. τέασσαρα γαρ γένη λοκρῶν.

Atq. hi ſunt Locri Graeci.

Locri Itali in Bruttijs fuere, dicti Zephyrij & Epizephyrij: quod in Zephyrio promontorio Locridis in extrema Italia prius, conditi ſint. quamquam paullo poſt non procul inde in alium locum migrarunt. Haec colonia deducta eſt a Locrenſibus Ozolis, ſi Strabonem, ſi Pauſaniam lib.iij. & Ephorum, quem Strabo citat, & Virgilium audimus, ab Opuntijs. Namq. poeta lib. iij. Aeneidis ſi ait.

» *Hic & Naricij poſuerunt moenia Locri.*

Nam tantumdem eſt, ac ſi dixiſſet Opuntij. Iam enim diximus, Narycum Opuntiorum urbem fuiſſe. Neq. alienum fuerit Strabonis uerba ex lib. vj adponere, omiſsis illis, quae lib. viiij. addidit. in quibus itidem teſtatur, Epizephyrios Ozolarum colonos fuiſſe.

» μετὰ δὲ τὸ ἡράκλειον ἄκρα τῆς λοκρίδος ἣ καλεῖται ζεφύριον,
» ἔχουσα τοῖς ἑσπερίοις ἀνέμοις λιμένα. ἐξ οὗ καὶ τ'ούνομα.
» εἶθ' ἡ πόλις οἱ λοκροὶ οἱ Επιζεφύριοι. ἐπὶ λοκρῶν ἄποικοι τῶν
» ἐν τῷ Κρισσαίῳ κόλπῳ μικρὸν ὕστερον ἀπὸ Κρότωνος καὶ Συ-
» ρακουσῶν κτίσεως.
» ἀποικισθέντες ὑπὸ Ε'υάνθους. Ε'φορος δ'οὐκ εὖ, τῶν Ο'πουν-
» τίων λοκρῶν ἀποίκους φῆσαι. ἔτη μεν οὖν τρία ἢ τετ̃αρα
» ᾤκουν ἐπὶ τῷ ζεφύρῳ. εἶτα μετήνεγκαν τὴν πόλιν συμπρα-
» ξάντων καὶ συρακουσίων. ἅμα γαρ οὗτοι. ἐν οἷς καὶ ἔστιν ἐκεῖ
» κρήνη λοκρία. ὅπου καὶ ἐστρατοπεδεύσαντο.

Quae uniuerſa ab interprete Latino ſatis commode uerſa ſunt: niſi quod ubi λοκρία κρήνη eſt, Locrius fons, non Lucrinus lacus uerti debuit. cuius pudendi erroris uel ſola locorum tanta diſtantia debuit interpretem ſatis commonere.

Hac opportunitate locus Strabonis eodem libro ix. eſt adiuuandus una tantum addita litera.

» ουμην

" ουμην ἐβασίλεβε ἐκεῖνος (Ρατρόκλος) τῶν Οπουντίων. ἀλλ'
" εἶλας ὁ λοκρὸς πατρίδος ὢν, ὥς φασιν, ἀρύκου.

Vbi pro ἀρύκου, reponendum eſt Ναρύκου. Νάρυκος enim non Ἄρυκος Geographis omnibus Opuntiorum urbs fuit, ut dictum eſt.

Seruius in hunc Virgilij uerſum libri tertij Aeneid.

" *Hic & Narycij poſuerunt moenia Locri.*

& in illum alterum XI

" *Libyco ue habitantes litore Locros.*

errat in hoc, & quod Ozolos dicit, qui Ozolae ab omnibus ſcribuntur: & quod Epizephyrios, qui Itali tantum fuerunt, etiam eſſe Graecos putauit, cum ſic ſcribit in uerſum libri tertij.

" *Socij Aiacis Oilei fuerunt Epizephyrij, & Ozoli. Sed*
" *poſt tempeſtatem montis Capharei Epizephyrij tenuerūt*
" *Bruttios: & hos nunc dicit. Ozoli uero tenuerunt Pen-*
" *tapolim. Inde eſt. Libyco ue habitantes litore Locros.*
" *Quin etiam de Ozolis legitur: quod delati Tinneiam ul-*
" *terius adceſſerint: & ciuitatem condiderint, quae nunc*
" *Vzalis dicitur. Ozoli a putore paludis uicinae.*

Idem in uerſum XI. Libyco ue habitātes litore Locros.

" *Vt etiam in tertio diximus, Locri ſocij Aiacis Oilei fue-*
" *runt. Epizephyrij & Ozoli. Sed hi tempeſtate diuiſi*
" *ſunt: adeo ut Epizephyrij tenuerint Bruttios: de quibus*
" *ait in iij. Hinc & Narycij poſuerunt moenia Locri.*
" *Ozoli uero deportarentur Pentapolim. de quibus nunc*
" *queritur dicens. Libyco ue habitantes litore Locros.*

FATVM. NATVRA. CASVS.

Virgilij uerſus inluſtratus.

Cap. XI

" *SEd quia nec fato, merita nec morte peribat:*
" *Sed miſera ante diem, ſubitoq. adcenſa*
" *furore*

Verſus ſunt Virgilij libro IV. Idem lib. X

" *Stat ſua cuiq. dies.*

Scimus,

Scimus, quae tradantur ab Agellio lib. xiij. cap. 1. & Seruio. Attamen longe mihi gratius adrident, quae a Nonio libro de doctorum indagine disputantur. in cuius uerbis, & si naturalis mortis non fit mentio, tamen facile quilibet inde existimare potest, tria mortis genera a poeta designari, Fati, Naturae, & Casus: siue quo alio nomine libet adpellare tertium hoc mortis genus. Quae autem sequuntur uerba. „ Subitoq. adcensa furore, reddunt rationem, & exponunt, quomodo posint mores cuiusq. uim Fato aut Naturae facere: ut mors uel proferatur ultra diem, uel properetur ante diem. Sed praestat ad breuitatem Nonij uerba adponere, ut quidem leguntur. nam sunt quaedam mendi suspecta.

„ *Dubio potius quam difficili intellectu uates posuit Mantuanus. Sed misera ante diem, subitoq. adcensa furore: cum huic sententiae obuersetur uersus eius cum opinione sentiens plurimorum. Fortuna Omnipotens, & ineluctabile fatum. Verum sensibilitatis eius non leuis ratio est. quae prima sententia philosophicum accipit intellectum: quae ait: Sui cuiq. mores Fortunam fingunt, Omnipotens Fortuna esse definit. Quod Sallustius mire. Fortuna simul cum moribus immutatur. Ac per hoc ex ea similitudine Fatum ineluctabile esse non poterit: quod ex vna caussa Fortuna fieri videatur & Fatum. Potest etiam, Fatum morum mutabilitate conuerti: ut ex his aut celere, aut tardum: aut bonum fiat, aut pessimum. Adcensa enim furore Dido amoris iniqua uiolentia, quia, ut ipse ait, Omnia uincit amor, ante diem merito uideretur occidere. quod etiam Homeri eiusmodi est: quem Virgilius noster omni aemulatione sectatur.* σφῆσιν ἀτασθαλίησιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν. *quod est* ὑπὲρ μόρον, *ultra decretum. Quod si admittitur, ut ulterius protendatur, quoniam id ex moribus factum est, quod significat,* σφῆσιν ἀτασθαλίησιν, *admittere proteritis, de moribus properatam etiam Fati celeritatem: ut intra diem possit admitti: quoniam recipit (vt Homerus ait) magnitudinem ultra uim Fati.*

Haec ille. Sed de Fati necessitate, & de facultate cuiusq. contra uim Fati Cicero est adeundus. Agellius quoq. aliquid adfert lib. VI. cap. ij. vt recentiores taceam non paucos.

PRONOMEN PRO NOMINIBVS PONI. Seruium falli. Cap. XII

PRonomen non tantum pro nomine, sed ét pro nominibus ponitur. quod negat Seruius in hos uersus Virgilij lib. vij

» *Arte noua speculata locum: quo litore pulcher*
» *Insidijs, cursuq. feras agitabat Iulus.*
» *Speculata (inquit Seruius) locum. quo litore]. Pronomen pro nomine ponitur, non pro nominibus. Vnde noue inter duo nomina unum pronomen posuit. nam recte, quo loco diceret. & hoc semel tantum fecit.*

Immo paullo ante iam id fecerat eo uersu.

» *Audacis Rutuli ad muros. quam dicitur urbem*
» *Acrisioneis Danae fundasse colonis.*

Sic Cicero pro Cecinna.

» *Quadriennium hoc est, ex quo tempore fundum uenijt.*

Terentius Andria.

Vbi ea caussa, quam ob rem haec faciunt, erit adempta his, desinent.

VARIAE LECTIONES IN VETVSTO LIBRO meo Tibulli. Locutionem hanc. Non solum, vsurpari non sequente Vt. Iuuentas. Cap. XIII

VEtus manu scriptus Tibulli liber multis in dictionibus diphthongos omittit. incuria ne librarij id acciderit, an iudicio, non dicam: alijs id statuendum relinquo. Eiusmodi sunt Pena: Ledo: Celum: Cedo: Cesus. Idem semper habet Iuuentas, non Iuuenta. ueluti.

ueluti Elegia iiij. lib. 1. ut praeteream loca alia.

" *Solis aeterna est Phoebo, Bacchoq. iuuentas.*

Scribit etiam, Idem, & Di, pro Iidem & Dij. ut hoc uersu, elegia ultima.

" *Sed patrij seruate Lares. aluistis & Idem.*

Sic lib. IV. Panegyrico.

" *Incipe, non idem tibi sint, alijsq. triumphi.*

Verum de huiusmodi ratione scribendi alibi a nobis dicetur. Libet adscribere aliquot alias uarietates eiusdem libri. quas confido lectori non ingratas fore. Lib. 1. elegia VI. ubi alij libri habent

" *Et pudët, & narrat facta nefanda mea.*

ille sic legit.

Et pudet & narrat scire nefanda mea.

Elegia viij. ubi nunc est

" *Et possum media quamuis obrepere nocte.*

Ille

" *Et possim media. et cet.*

Quam coniunctiui Modi lectionem antecedentia & sequentia uerba postulant. Ibidem.

" *Est mihi nox multis euigilanda modis.*

Ille

" *euigilanda malis.*

Elegia x

" *Illis eriperes uerbis mihi, sidera Caeli*

" *Lucere: & puras fluminis esse uias.*

Ille

" *Lucere: & puras fulminis esse uias.*

Libro ij. elegia prima.

" *Luce sacra requiescat humus.*

Ille.

" *Luce tua requiescat humus.*

Elegia ij

" *Illius puro distillent tempora nardo.*

Ille.

" *Illius e puro distilent tempora nardo.*

in quo uersu Distilent uerbum uno l. scriptum est, more scilicet, ut alibi dicetur, quorumdam anti-

quorum: quì liquidas, atq. adeo consonantes omnes non geminabant. Elegia v

„ *Nunc precor ad laudes flectere uerba meas.*

Ille

„ *Nunc precor ad laudis flectere uerba modos.*

Ibidem.

„ *Ipsum etiam solem defectum lumine uidit.*

Ille.

„ *defectum lumina uidit.*

Ibidem.

„ *Ingeret hic potus iuuenis maledicta puellae.*

Ille.

„ *Ingeret hic potus iuuenis mala dicta puellae.*

Elegia vi

„ *Barbara gypsatos ferre catasta pedes.*

Ille

„ *Barbara luxatos.*

In quem uersum lege Iosephum Scaligerum ad elegiam v. Propertij in pentametrum hunc uersum.

„ *Caelati medio cum saliere foro.*

Lib. iij

„ *Qui primum caram iuueni.*

Ille.

„ *Qui primus caram iuueni.*

Lib. ij. Panegyrico.

„ *Mobilis Artaciae.*

Ille

„ *Mobilis Atraciae.*

Huius quoq. fluminis meminit Catullus de Smyrna Cinnae loquens eo uersu.

„ *Smyrna cauas Atracis penitus mittatur ad vndas.*

bidem.

„ *Siue supra terras Phoebus, seu curreret infra.*

Ille

„ *Seu supra terras Phoebus, seu. etcet.*

Ibidem.

„ *Vidit ut inferno Plutoni subdita regna*

Ille

» *Vidit & inferno.*

Ibidem.

» *Laetior eluxit structos super ignis aceruos.*

Ille.

» *Purior elusit substratos ignis aceruos.*

Quam lectionem non oscitanter adtendendam censeo. Namq. poeta uidetur intelligere de flamma innocua: qualem adcidisse capiti Ascanij tradit Virg. lib. ij. Aeneid.

» *Ecce leuis summo de uertice uisus Iuli*
» *Fundere lumen apex. tactuq. innoxia molli*
» *Lambere flamma comas: & circum tempora pasci.*

quale etiam flammae innocuae portentum, eodem poeta auctore, lib. vij. lusit circa caput Lauiniae.

Ibidem

» *Non solum tibi Pierij tribuentur honores.*

Ille meliore numero.

» *Nec tibi Pierij solum tribuentur honores.*

Illa autem forma dicendi est animaduersione dignissima. Vbi post „ Non solum, poeta non subiungit „: Sed etiam: quae uerba a natura eius locutionis postulantur. Vsurpatur quoq. ab alijs primae notae, scriptoribus, & quidem cum magna sententiae efficacitate, & quasi impetu e pectore erumpentis ante exspectatum uehementiae: quando illud Non solum, quod dixi, siue Non modo, siue Non tantum non sequitur „ Sed etiam, aut Verum etiam. Verum probemus elocutionem hanc non carere exemplis aliorum quoq. excellentium scriptorum. Terentius Ecyra.

» *Nam non sunt solae arbitratae hae: ego quoq. idem*
» *credidi.*

Liuersu dicendi genus

Cicero Philippica ultima.

» *Non ne satis est, ab hominibus uirtutis ignaris gratiam*
» *benemerentibus non referri: etiam in eos, qui suas cu-*
» *ras in Reip. salute defigunt, crimen inuidiaq. quae-*
» *ritur.*

Terentius Phormione.

» Non

„ *Non id ſat erat,*
„ *Accipere ab illo iniuriam: etiam argentum eſt ultro oblatum.*

Cornelius Tacitus lib. IV

„ *Non adtingo Graecos: quorum non modo libertas, etiam libido impunita.*

Cicero pro Flacco.

„ *Cum tabella uobis dabitur Iudices, non de Flacco dabitur ſolum: dabitur de ducibus auctoribus conſeruandae ciuitatis.*

Aretaeus Cappadox medicus.

„ Καὶ τὰ δὲ ὀυκ εἰς τὰ παρέοντα μόνον: καὶ εἰς τὰ μέλλοντα μάντιές ἀτρεκέες.

Latine ſic.

„ *Atq. non ſolum in praeſentibus dignoſcendis: etiam in futuris acres diuinatores ſunt.*

Contra conſueuerunt etiam Latini pariter & Graeci, non praecedente apud hos ὀυ μόνον, apud illos non ſolum, ſiue non modo, aut, non tantum ponere, ſed, & Αλλά. Libanius

„ ὅυτος διὰ τὴν ὀικείαν τέχνην, ἄδειαν εἶχον ἀπιέναι ὅποι βούλωνται, ἀλλὰ δὴ καὶ πρὸς πολεμίους.

Cicero lib. iij. ad Atticum.

„ *Hic mihi primum conſilium defuit: ſed etiam obfuit.*

Idem pro Rabirio Poſtumo.

„ *Credidit populis: in pluribus prouincijs eius uerſata res eſt: ſed etiam regibus.*

Sic etiam locuti ſunt Auctor Rhetor. ad Herennium, Cyprianus, & Petronius Arbiter, & Apuleius cum alibi, tum lib. x. Aſini aurei.

Idem ſtatuo, in hac locutione Tantum abeſt. Cic. ij. de Finibus.

„ *Tantum abeſt, ut ſe indicet: perficiet etiam, ut dolere alterius improbe facto uideatur.*

Idem lib. v. eiuſdem operis.

„ *Tantum abeſt, ut uoluptates conſectentur: etiam curas, ſolicitudines, uigilias perferunt.*

Idem de Claris oratoribus.

„ *Tantum abfuit, ut inflammares noſtros animos: ſomnum*
„ *iſto loco uix tenebamus.*

Sic ſaepe apud hunc auctorem. Sed pulcher hic flos & color dicendi non intellectus, multis typographis cauſſa fuit, ut Parentheſeon figuris, quae dignitatem & uim illius formae dicendi obſcurant & eneruant, includerent. Verum, unde exceſsimus, ad noſtrum manu ſcriptum librum Tibulli reuertamur. Libro v. elegia v. ubi eſt in uulgatis codicibus,

„ *Optat idem iuuenis, quod nos: ſed tutius optat.*

Ille habet

„ *Optat idem iuuenis, quod nos, ſed tectius optat.*

recte ille quidem. namq. ſequens ſtatim uerſus reddit ſecreti tectiq. uoti cauſſam, cum ſubdit.

„ *Nam pudet haec illum dicere uerba palam.*

PROPERTII VERSUS EMENDATUS. *Pietas. Eruo. Antiqui eaſdem conſonantes non geminabant.*

Cap. XIV

APud Propertium lib. iij. elegia xx. ad Tullum ſunt hi uerſus.

„ *Nam quantum ferro, tantum pietate potentes.*
„ *Stamus. uictrices temperat ira manus.*

Conſului codices multos. uniuerſorum eadem eſt reperta ſcriptura. Neq. tamen illorum conſenſus facit, quin ego habeam in ſecundo uerſu uerbum illud „ ira, ſuſpectum. Ratio meae dubitationis eſt, cum hoc ſenſu. Tantum abeſt, ut ira temperet fortis & uictoris ferociam, etiam incendit magis. hominemq. iam per ſe conſcientia uirtutis atq. gaudio uictoriae, quae plerumq. adrogans eſt, gloria inſoleſcentem, impotentiorem reddat. Tunc ſtimulo etiam irae adcedentis animus uiri uictoris incitatus omnem penitus humanitatem exuit.

contra

contra Pietas lenem, mitem, misericordem, & ad condonandam noxam proniorem facit. ob has caussas pro uoce „. ira ego, illa legendum esse existimo. Sic omnia recte, & ad consilium poetae, & ad naturam pietatis atq. humanitatis egregie respõdebunt. eritq. hic sensus. Fortes quidem & uictores sumus Romani: tamen & pij sumus & clementes. pietasq. haec & clementia, quod uitij est in fortitudine, & in uictoria, temperat. Conrupit autem locum inperitus aliquis: quem fefellit ignoratus mos antiquorum, non geminantium liquidas. itaq. legimus in antiquis calamo scriptis libris, & in marmoribus Milia, Vilicus, & alia similia uerba sic scripta aut sculpta pro millia & uillicus. sic in hoc uersu Propertij fuit „ Ila. indoctus ille, qui descripsit, erratum esse existimans ex Ila Ira fecit. Poni uero Pietas, Pius, & Pie pro humanitate & humano, & humane exempla, in quibus hac significatione accipiuntur, non desunt.

A. PRO. O. NON AH, PROH, OH SCRIBEN. *Padua. Locus Catulli defensus.*

Cap. XV.

Nulla dictio adspiratione finiri debet. Sic A interiectio in ueteribus calamo scriptis libris Virgilij sine adspiratione praecedente aut sequente scribitur. Codices Tibulli scripti (de ijs loquor, quos ipse uidi) adspirant ante. vt in hoc uersu.

„ *Ha lapis est, ferrumq. suam quicumq. puellam*
„ *Verberat.*

Igitur uel A scribendum est, sine adspiratione Virgilij more: uel praecedente adspiratione, non autem sequente. Et grammatici tradunt, adspirationem finire uerbum nullum. Eodem modo etiam O & Pro Interiectiones, non Oh, & Proh scribi debent.

Sed

Sed ad Catullum ueniamus. in cuius scriptis calamo libris ti Padua est in eo uersu

At Volusi annales Paduam morientur ad ipsam,

caussam nullam uideo, cur quidquam illic noui quaeramus, & uocem illam damnemus, nusquam alibi auditam. quasi uerbum nullum aliud in latina lingua sit singulare.

VOCES IACOBVS, IOANNES TRIVM ne syllabarum esse poßint. Iulus, Iapetus, Iambus, Iaziges, Iaxametae.

Cap. XVI

INterrogatus a Francisco Cicereo Mediolaniensi uiro erudito, an in his uocibus Ioannes & Iacobus τὸ ι. posit esse consonans, idest, an ea nomina trium tantum esse syllabarum queant, respondi, dubitare multos: non dubitasse tamen Iouianum Pontanum. qui Iacobum sic posuit, & quidem prima breui. quam usurpationem uulgus quoq. sibi uult concedi. quorum caussam non ut tuear, sed ut excusem, adferam, quae nunc in promptu sunt poetarum in similibus uerbis Iulus, Iapetus, Iambus, atq. alijs, exempla.

Virg.

" *Iulius a magno demissum nomen Iulo.*

Horatius contra.

" *Iule ceratis ope Daedalea.*

Statius ad finem lib. x

" *Iapeton, aut uictam supera ad conuexa leuari.*

Horat. contra.

" *Audax Iapeti genus.*

Iambus trisyllabum plerisq. Horat.

" *Syllaba longa breui subiecta uocatur Iambus.*

Sulpicia apud Ausonium contra.

" *Non trimetro Iambo, nec qui pede fractus eodem.*

Ouidius ij. Tristium.

„ *Iazyges, & Colchi, Metereaq. turba, Getaeq.*

Valerius Flaccus lib. VI

„ *Laxametas uenatas alit.*

IVLII CAPITOLINI LOCVS DEFENSVS contra Lipsium.

Cap. XVII

„ *PRofecti tamen sunt paludati ambo Imperatores Parthis, & Marcomannis cuncta turbantibus: alijs etiam gentibus: quae pulsae a superioribus fugerant, nisi reciperentur, bellum inferentibus.*

Verba sunt Iulij Capitolini in Marco Antonino. in quibus, quoniam Marcomanni a Parthis multum sunt remoti, Iustus Lipsius pro Parthis legit Cattis, aut Quadis: aut

„ *Aperte Marcomannis cuncta turbantibus.*

Sed meo iudicio nihil fuit hic tentandum. Nam Capitolinus tradit non cum una gente tantum, & in finitimis regionibus, sed cum pluribus hostibus, & quidem, qui magno locorum interuallo uni ab alijs essent remotissimi, bella fuisse gerenda. Iudicij huius mei, atq. sententiae comprobator est ipse Capitolinus. qui his praecedentibus uerbis sic scribit.

„ *Dum Parthorum bellum geritur, natum est Marcomannicum: quod diu eorum, qui aderant, arte suspensum est: ut finito Orientali bello Marcomannicum agi posset.*

Adiuuat sententiam meam Eusebius. qui Olympi 193. sic scribit.

„ *De Rhetis Vindelicis, Armenijs, & Pannonijs, triumphat.*

„ *Quantum autem Armeniae ab antedictis distant?*

QVAE-

QVAEDAM OBSERVATA IN VETVSTO
carmine recens in Gallia reperto, & edito
a Iusto Lipsio.

Cap. XVIII

IDem Iustus Lipsius publicauit carmen quoddam nuper in Gallia repertum: quod non longe abest, quin antiquam uenustatem redoleat. In eo est hic uersus

„ *Ver nouum, uer iam canorum: uer natus*
„ *orbis est.*

claudicat hic uersus: & a reliquorum ibi positorum mensura & norma aberrat. nec longe abest a soloecismo. Ego eum sic reconcinnarem.

„ *Ver nouum: uer iam canorum: uer natalis orbis est.*

Sic mensura haec reliquorum mensurae egregie respondet.

Aemulatur autem Virgilij uersus ij. Georg. hos.

„ *Non alios prima crescentis origine mundi*
„ *Inluxisse dies, alium ue habuisse tenorem*
„ *Crediderim. Ver illud erat: uer magnus agebat*
„ *Orbis. & hiberni parcebant flatibus Euri.*

Ibidem de Venere idem auctor loquens.

„ *Romuleas ipsa fecit cum Sabinis nuptias,*
„ *Vnde Rhamnes. & Quirites, proq. prole posterum*
„ *Romoli, matrem crearet, & nepotem Caesarem.*

In tertio uersu Lipsius uocem „Matrem in Patrem mutat, sic legens.

„ *Romoli patrem crearet, & nepotem Caesarem.*

additq. rationem, atq. exponit his uerbis.

„ *Pater Caesar Diuus Iulius est. nepos Augustus.*

& paullo post.

„ *Venus conciliatrix Romanorum Sabinarumq. nuptijs ut ex*
„ *his Rhamnes & Quirites crearet: & in postera saecla*
„ *utrumq. Caesarem patrem cum nepote.*

Ego uero uocem Matrem omnino conſeruandam cenſeo, hiſtoria pro ſententia mea ſtrenue ſtante & feliciter pugnante. quae haec eſt,

C. Iulius Caeſar ſororem habuit Iuliam. quae nupta Attio Balbo Attiam filiam genuit. Haec Attia ex C. Octauio Marito C. Octauium filium ſuſcepit, hunc, qui poſtea imperauit, & Auguſtus dictus eſt. Non ergo Diui Iulij „ ideſt, C. Iulij Caeſaris nepos fuit Auguſtus: ſed nepos fuit Iuliae ſororis C. Iulij Caeſaris.

Accipitur autem Nepos a Lipſio pro filio ſororis: ſed male. Conſeruetur igitur auctori ſua lectio. nec ullo modo uox „ Matrem in Patrem uertatur.

CORNELII TACITI LOCVS PERPENSVS, & defenſus. Imagines gentilium tantum in pompis funerum adhiberi ſolitas.

Cap. XIX

IDem Lipſius epiſtula iij. lib. IV. Epiſt. Quaeſtionum, & in Notis ad Cornelium Tacitum lib. iij. ſuſpicatur uocem hanc Iuliorum uertendam eſſe in Liuiorum in his, quae adponam, Taciti uerbis initio libri iij. ubi de Druſi fratris Tiberij funere loquitur.

„ *Circumfuſas lecto Claudiorum, Iuliorumq. imagines: de-*
„ *fletum in foro: laudatum pro Roſtris.*

Ad quae uerba Lipſius ſic ſcribit.

„ *Druſus hic in Iuliam familiam ne adoptatus quidem uenit.*
„ *Vnde ergo in pompa funebri imagines illi gentis Iuliae?*
„ *niſi forte, quia mater deducta in domum Auguſti.*
„ *Haec & talia de ſummo pectore dici poſſunt. At mihi*
„ *nondum euiluit coniectura mea, Liuiorum. cauſſa dupli-*
„ *ci. Primum non praepoſuiſſet Claudios Iulijs Tacitus.*
„ *id nefas. deinde, cum a patre latae imagines, cur omiſſae*
„ *a matre? quae praeſertim antiquae & multae?*

Ego mutandum nihil censeo his de caussis. Primum non temere recedendum est a consensu ueterum & nouorum librorum: in quibus est „ Iuliorum, non Liuiorum. Deinde in aedibus Iuliorum Drusum mater Liuia edidit. Praeterea quam carum honestumq. habuerit Augustus eumdem Drusum uiuum & mortuum, docent insignes conlati in eum honores apud Tacitum initio libri primi, & alibi: & apud Dionem. Quorum uerba adponere prohibet breuitatis studium. Quid? quod ex uerbis Dionis lib. LV iusta suspicio nascitur, eumdem Drusum in gentem Iuliam adoptione uenisse? ut omnino hac de caussa eius funus Iuliorũ imaginibus honestari debuerit. Et quoniam graeci libri Dionis in praesentia copia non est, adponam Xilandri interpretis translationem:

Sic igitur ille.

„ *Germanicus Caesar, & Ti. Claudius Nero filij Drusi in honorem patris munus gladiatorium praebuerunt. Hoc plebem memoria Drusi consolatum est. Idq. etiam: quod in dedicatione aedis Castoris & Pollucis non Claudiani modo (adoptatus enim in familiam Augusti se claudianum nuncupabat) sed Drusi etiam nomen ei imposuit.*

Hactenus de adoptione. Quod ad imagines gentis maternae adtinet, quas Lipsius ornamentis funebrium pomparum, nullo citato suae opinionis auctore adhiberi consueuisse tradit, Plinius lib. xv. cap. ij. in contrariam sententiam lectorem trahit sic scribens.

„ *Expressi cera uultus singulis exponebantur armarijs. ut essent imagines, quae comitarentur gentilitia funera. semper defuncto aliquo aderat familiae eius, qui umquam fuerat, populus.*

& paullo post, ibidem.

„ *Exstat Messallae indignatio: quae prohibet inseri genti Leuinorum alienam imaginem. Similis caussa Messallae seni expressit uolumina illa: quae de familijs condidit. Cum Scipionis Africani transisset atrium: uidissetq. adoptione testamentaria Salutionis (hoc enim ei fuerat*

cogno-

„ *cognomen) Africanorum dedecore notam inrepentem*
„ *Scipionum nomini.*

Quod autem Tacitus Claudios Iulijs antepoſuit in enumeratione imaginum, non eſt, quod quiſquam miretur.

Recte fecit Tacitus: qui ordinem ſecutus eſt. Namq. Druſus fuit natura primum Claudius: deinde adoptione Iulius.

Adoptionem probant etiam uerba Euſebij Olymp. CXCIIII. „ Auguſtus (inquit) Tiberium, & Agrippam in filios adoptat. & Olympiade CC. Tiberius Druſum conſortum regni fecit. Idem leges apud Suetonium in Auguſto & Tiberio.

Quae uniuerſa ſi Lipſius paullo adtentius perpendiſſet, nos hac admonendi neceſsitate, aut ſaltem occaſione liberaſſet.

Finis libri primi.

OPINIONVM IOANNIS MARII MATTII

LIB. II

NON INTELLECTA HACTENVS aliquot epistularum Ciceronis libri xvi. ad Tironem loca. Veterem lectionem ibi duobus in locis immerito a doctis tentatam.

Cap. I

QVANTVM interſit ad intelligendum pluribus in locis epiſtulas Ciceronis plurimas, noſſe quo tempore, unde, & quo ſingulae datae ſint, dictum eſt alibi: facileq. & fortaſſe aliqua cum gratia cognoſcetur ex his, quae dicturi nunc hic ſumus. Epiſtulae fere omnes libri xvi. ad Tironem agunt de Tironis ualetudine Vniuerſi autem, qui in illum librum ſcripſerunt, exiſtimant, de uno tantum & eodem morbo ibi ubiq. tractari. in quem morbum incidit Tiro, decedente de prouincia Cilicia Cicerone. Sed res aliter habet.

habet. Namq. uniuersae eae eiusdem libri literae si non de pluribus, certe de vna & altera tractant ualetudine, in quas diuerso tempore Tiro incidit. Quod non animaduersũ, caussa fuit docto uiro Paullo Manucio multipliciter errandi in illarum litterarum explanatione. Nos de utroq. Tironis morbo, inlustrandi plures locos gratia, dicemus.

Vna ualetudo, quae posterior fuit, adcidit Tironi Cicerone de Cilicia decedente. quo tempore coactus est ille grauiter aegrotantem commendatum amicis Patris relinquere. De hac agitur in primis x. epistulis libri xvi. quae scriptae fuerunt partim sub finem anni eius, partim sub initium sequentis, pullulante iam initio belli ciuilis inter Pompeium, & Caesarem. Altera ualetudo ea est, de qua scribit in reliquis aliquot eiusdem uoluminis sequentibus literis. longeq. est alia ab ea, quam modo dixi.

Ex hac aegrotauit Tiro ante turbatam bellis ciuilibus rempublicam, adciditq. per ea tempora, quando Pompeio cum Caesare in administratione Reipublicae conueniebat, ipso Pompeio ocioso & ab omni suspicione discordiarum publicarum securo. Id declarant uerba xij. epistulae dicti iam libri: quae ex Formiano scripta fuit.

" *Pompeius erat apud me, cum haec scriberem, hilare & li-*
" *benter. Ei cupienti audire nostra dixi, sine te omnia mea*
" *muta esse.*

Hic laudo equidem acumen Sebastiani Conradi: cui pusilla quaedam ueri imago adfulsit, sed per nebulam, & inluni (ut ille loquitur) nocte. itaq. aberrans statim, de uia deflectit, multas temporum inuersiones inducens omnino repudiandas. Ibi etiam uocem " Pompeius immerentem suspectam habet. proq. ea Pomponium substituit. cuius opinionem reliqui post eum sunt secuti, decepti uniuersi hoc: quod crediderunt, de una tantum Tironis ualetudine Patrensi toto eo libro a Cicerone scribi: non animaduertentes, posteriores eius libri epistulas

prio-

prioribus eiusdem libri epistulis tempore scribendi antecedere: scilicet datas, quando Tiro Romae, adhuc seruus aegrotabat, Cicerone in uillis suis rusticante: priores autem longo tempore post scriptas fuisse a Cicerone decedente de Cilicia in nauigatione & uia partim, partim cum in Italia, & cum ad urbem esset, Tirone pridem libertate donato, & tunc Patris ex febri cubante. Tantum uero abest, ut Tiro per ea tempora in Italiam uenerit, ut eodem morbo pressus etiam Patris esset eo tempore: quando ardente ciuili bello Pompeius relicta urbe & Italia Dyrrhachium copias omnes traiecisset, Cicerone hoc testante epistula libri noni xx. ad Atticum, quae incipit. Trebatium VI. Kalen. & lib. eiusdem operis x. epistula quarta, quae incipit. Multas a te accepi epistulas.

Haec omnia non animaduersa, ut debuit, occasionem praebuerunt Paullo Manucio, atq. alijs grauium errorum. Nam praeter quam quod Paullus putat, semel tantum aegrotasse Tironem (de morbis intelligo, de quibus ibi loquitur Cicero) & omnibus illis epistulis de ea una Patrensi ualetudine scriptas censet, etiam iudicauit (& habet ibi riuales nō paucos) Tironem Cicerone tenente prouinciam Ciliciam, & aegrotantem Patris, seruum adhuc fuisse.

In medicis etiam, qui aegrotanti Tironi adfuerunt, aestuant ijdem & haerent, ut clarum faciemus. Sed prius de statu, & de priore ualetudine Tironis probemus ea, quae diximus exemplis ex eodem libro Ciceronis XVI. adlatis. Illic igitur epistula xij sic scribit.

„ *Ego uero cupio te ad me uenire. sed uiam timeo. grauiter*
„ *aegrotasti.*

paullo post ibidem.

„ *Iam ad id triduum, quod fueris in uia, dum in Cumanum*
„ *uenis, adcedent continuo ad reditum dies quinq. Ego in*
„ *Formiano a. d. iij. Kalen. Ianuarias esse uolo. ibi te ut*
„ *firmum offendam, mi Tiro effice.*

" *Literulae meae, siue nostrae tui desiderio oblanguerunt.*
" *Hac tamen epistula, quam Acastus adtulit, oculos paullu-*
" *lum sustulerunt. Pompeius erat apud me, cum haec*
" *scribebam hilare & libenter. Ei cupienti audire nostra*
" *dixi, omnia mea sine te muta esse.*
" *Tu musis nostris para, ut operas reddas. Nostra ad diem*
" *dictam fient. docui enim te, fides etymon, quod haberet.*
" *Fac planc, ut ualeas. Nos ad summum. Vale. xiij. Ka-*
" *len. Ianuarij.*

Epistula xiij. ad eumdem Tironem tota huc est aduocanda.

" *Aegypta ad me nenit pridie idus Aprilis, Is, & si mihi*
" *nunciauit, te plane febri carere, & belle habere, ta-*
" *men, quod negauit, te potuisse ad me scribere, curam mi-*
" *hi adtulit: & eo magis, quod Hermia, quem eodem die*
" *uenire oportuerat, non uenerat. Incredibili sum solici-*
" *tudine de tua ualetudine. qua me si liberaris, ego te omni*
" *cura liberabo. Ingenium tuum, quod ego maximi facio,*
" *confer ad te mihi tibiq. conseruandum. Cura te etiam atq.*
" *etiam diligenter. Vale.*
" *Scripta iam epistula Hermia uenit. Accepi tuam epistulam*
" *uacillantibus literulis. nec mirum, tam graui morbo.*
" *Ego ad te Aegyptam misi: quod nec inhumanus est: &*
" *te mihi uisus est diligere: ut tecum esset: & cum eo co-*
" *cum, quo uterere. iterum vale.*

Epistula XIV

" *Dies promissorum adest: quem etiam repraesentabo, si ad-*
" *ueneris. Etiam atq. etiam uale. iij. idus Aprilis.*

Quod sequitur, initium est epistulae Qu. Ciceronis ad M. fratrem.

" *De Tirone mi Marce, ita te, meumq. Ciceronem, & meam*
" *Tulliolam, tuumq. filium uideam, ut mihi gratissimum*
" *fecisti: cum eum indignum illa fortuna nobis amicum,*
" *quam seruum esse maluisti.*

Ex his omnibus testimonijs adlatis liquido adparet, non Patrensem ualetudinem intelligi, sed urbanam Patrensi priorem. Adparet status Tironis: Adparet, inquam, seruum eo tempore fuisse. Ad-

paret

paret priores XI. literas multo, post posteriores tempore scriptas fuisse.

Ex his, quae de ualetudine Tironis urbana & Patrensi sunt disputata, duo alij tolluntur errores eorūdem: qui satagunt de Medico, & Mumio ad haec uerba XIV. epistulae libri iam dicti XVI

" *Medico, mercedis quod poscet, promitti iubeto. Id scripsi*
" *ad Mumium.*

Priorem errorem genuit praecepta opinio de una tantum Patrensi ualetudine. putant enim intelligi hic Asclaponem Patrensem medicum. falso. Nam urbanus medicus intelligendus est hic non nominatus: qui Romae aegrotanti Tironi adfuit. quod etiam ex eo adparet: quod Asclaponi pecunia iussa erat dari. quod est in epistulis VI. & IX. Huic uero non nominato promitti, non dari. Manij etiam Praenomen, qui est alius error, non substituendum fuit pro Mumio, siue Vmmio, siue quo alio modo scriptum ibi reperiatur. cur? quia hic de urbano medico & morbo agitur, non Patrensi: qua in urbe degebat Manius, non Romae. Haec hactenus. Qui uero M. Tullius adparuerit scriba Ciceroni in prouincia Cilicia (nam hic quoq. interpretes soliciti sunt) facilius est dicere, qui non adparuerit. Tironem hominem studijs suis adcommodissimum non occupasset Cicero adparitione molestiarum plenissima. Philotimus Romae fuit. Plura testimonia possunt adferri. sed cōtentus uno reliquis supersedebo. Coelius lib. viij. epist. tertia sic scribit.

" *Quod ad Philotimi liberti officium, & bona Milonis adti-*
" *net, dedimus operam: ut & Philotimus quam honestis-*
" *sime Miloni absenti, eiusq. necessarijs satisfaceret: &*
" *secundum eius fidem & sedulitatem existimatio tua con-*
" *seruaretur.*

M. Tullium Lauream censet Paullus Manucius. sed illum in eo comitatu fuisse, non memini usquam legere.

De scriba Tullio mentio est in epistula IV. libri V. epi-

stularum ad Atticum: quam in prouinciam proficiscens Beneuento dedit.

" *Ac binas quidem tuas Beneuenti accepi. quarum alteras Fessulanus multo mane mihi dedit: alteras scriba Tullius.*

PIE QVID SIGNIFICET IN ORATIONE pro Cluentio. Sincerus. Suspectus locus in Epist. Familiar.

Cap. II

" *ERat huic inimicus Oppianicus: erat. sed tamen erat uitricus. crudelis, & huic infesta mater: attamen mater. postremo nihil tam remotũ ab adcusatione, quam Cluentius & natura, & uoluntate, & instituta ratione uitae. Sed cum esset haec illi proposita condicio, ut aut iuste pieq. adcusaret, aut acerbe indigneq. moreretur, adcusare quoquo modo posset, quam illo modo emori maluit.*

Proposui haec uerba ex Ciceronis pro Cluentio oratione: ut acuti iudicij homines considerent, quo sensu uox illa „ Pie, de qua locuti sumus etiam capite XIV. libri superioris, sit accipienda in caussa ancipiti: ubi aliud pietatis, aliud salutis ratio suaderet. Ego pie expono parce, molliter, leniter remisse, placate, mitissime: hoc sensu. Capitis periculũ adcusationem, & in adcusando acrimoniam: pietas in matrem ab adcusando deterret, & lenitatem suadet, tamen quoquo modo adcusare potius, quam acerbe indigneq. mori maluit. Sic ab sedata & temperata ex necessitate & pietate adcusatione atq. oratione, homines facile intellecturos iudicaturosq., non animo in matrem inimico, sed conseruandae uitae gratia, quã natura uniuerso animãtium generi commendat, coactũ ad adcusandum descendisse. Aut pro pie impie est legendũ sed propono hoc, non statuo. Nam quod Paullus Manucius exponit.

" Erga

„ *Erga se ipsum. est enim pietas a se ipso mortem depellere.* uix probare eum puto posse interpretationem istam suam ijs, qui sciunt, Pietatem foras, tamquam partem Iustitiae respicere: quam sapiẽtes magistri ideo bonum esse alienum scite dixerunt.

Lib. xiij. epist. Familiar. epist. LI. locus hic suspectus est.

„ *Vt M. Curium sartum & tectum, ut aiunt, ab omni incom-*
„ *modo, detrimento, molestia sincerum integrumq. con-*
„ *serues.*

Verba illa „. sincerum integrumq., glossema fuisse puto in illa uerba sartum & tectum. quod postea ex ora libri in ordinem opera parum diligentis, & fortasse parum intelligentis librarij uenerit. Festus Pompeius auctor est, sartum integrum significare. ut non necessarium fuerit (quod prouerbio dicitur) Nauson Naucrati. Praeterea uerbum sincerum est ad fidei, sanctitatis, & omnino ad animi integritatem quam ad fortunas adcommodatius.

NON OMNES VNIVS MVNICIPII, *aut Coloniae, etcet. ciues, ciuitatem Romanam adepti in una & eadem tribu Romae suffragium ferebant.*

Cap. III

CAROLVS Sigonius, uir de uniuersis literis optime meritus lib. iij. cap. iij. de antiquo iure Italiae ingenue pro sua natura & more fatetur, non adfirmare posse se, in qua tribu Romae quaeq. aut Colonia, aut Municipium, aut Praefectura, aut Foederata ciuitas post Romanam ciuitatem inpetratam suffragium tulerit. Ego uirum uniuersae antiquitatis scientissimum sapienter dubitare puto. Addo hoc amplius de meo: iudicare me, non vniuersos ciues unius Coloniae, aut Municipij, aut Praefecturae, aut Foederatae ciuitatis in

una & eadem tribu, ſed ſingulos in ea tribu cenſos fuiſſe & ſuffragium tuliſſe, quam quiſq. arbitratu ſuo delegiſſet: uel quae initio ciuitatis adeptae ſingulis eſſet adſignata. In hanc opinionem adducor uerbis Ciceronis ex epiſtola quinquageſima libri xiij. epiſtularum familiarium, ut uocant.

" *L. Cuſtidius eſt tribulis, & municeps & familiaris meus.*

Si enim uniuerſi unius Municipij etcet. ciues in unam & eamdem tribum coniciebantur, quid adtinuit tribulem eum ſuum adpellare, qui eſſet Municeps ſuus?

Praeterea opinionem hanc meam, ſiue libet ſuſpicionem adpellare, adiuuant inſcriptiones antiquorum lapidum: qui ſunt Albae Pompeiae, & Haſtae. qui lapides diuerſas tribus, eiuſdem Coloniae aut Municipij ciuibus adtribuunt.

Haſtae igitur ſunt lapides, hi, quorum plures mea commendatione & opera a tenebris & ab ignoratione uindicati nuper inuenti ſunt in ſepulcreto aedis Maximae, ecfoſſa in altitudinem. amplius pedum x. terra, cum ingentibus, ſed in plures partes fractis egregij uerſicoloriſq. marmoris columnis. Ex quibus, quod ad praeſens argumentum faciat. ſubſidium petam ad probandum, quod propoſitum eſt.

Haſtae

Hastae ecfossum haud ita pridem in aedibus Virginum Orbarum.

P. VERGILIO. P. F. P. N. POL
LAVREAE. AED. II. VIR. I. D. PRAEF. FABR
IVDICII. DE. IIII. DECVRIIS. EQVITI
SELECTORVM. PVBLICIIS. PRIVATIS Q
PRAEF. DRVSI. CAESARIS. GERMAN. II. VIR. QVINQ
P. VERGILIO. P. F. P. N. POL. PAVLLINO
EQVO. PVBLICO IVDICI. DE. IIII. DECV
PRAEF. FABRVM. PRAEF. CHORTIS. II DECV
.... IORVM. EXERCITVS.......
....

In aedibus Mattiolarum.

....
CONCORDIAE
COLL. FAB. HASTENS FAB
M. VETTIVS SECVNDVS
IN. MEMORIAM
VETTIAE. CIVITATIS. SO RORI

In

In hortis aedium, quae conditae olim a Magno Iacobo Triultio, nunc nobilis familiae Asinorum. Postea translatum haud ita pridem Taurinum uecordia eorum: qui prohibere cum possent, debuerunt: est nunc in aedibus Puteorum Taurini.

T. ARRIO. T. F. TRO. TERTIO
ANN. XXI
MVCIA. T. F. MODESTA
MATER. V. F
SIBI. ET. T. ARRIO. M. F. VIRO
INVIDA FLORENTEM. RAPVERVNT
FATA. IVENTA
NEC. LIQVID. MISERO. ME. SVPER
ESSE. MEIS
FLEVIT. PRAESENTEM. MATER
FLEVERE. SODALES
ET. MATER. TEPIDO. CONDEDIT
OSSA. ROGO
QVAE. PRIVS. HOC. TITVLO
DEBVIT IPSA. LEGI
IN AGRO P XX. IN. FRONTE. P XX

In

In aedibus Mattiolarum.

P. LAETILIVS. P. L. PAL. HILARVS. SPVRI
MAGISTER. MINERVALIS
NAEVIA. Ɔ. L CLVSIA. C. L.
ALMYRIS TOPIA

Ecce quattuor in his monimentis Haſtae Coloniae (coloniam enim Ptolomaeus & ſempronius uocant) diuerſae tribus Pollia, Fabia, Tromentina, & Palatina ſatis indicant, uon uniuerſos unius Coloniae, & Municipij, ciues in unam tribum fuiſſe coniectos.

Albae quoq. Pompeiae: in Coenobio Diui Dominici Polliae: extra urbem in aedicula D. Frontalionis: & in urbe in Coenobio Monacharum D. Magdalenae Camillae & quidem ter repetitae tribus eſt mentio. Quorum trium lapidum inſcriptiones idem, quod diximus, probant.

Sic autem habent.

Q. CARRINAS. C. F
POL. PRIMI. PILI
AED. ‡‡. VIR

In Diuae Magdalenae.

M. GEMINIVS. L. F
CAM. VETERAN
SIBI. ET. L. GEMI
NIO. L. F. CAM
MANCIAE. PATRI
VIBIE. Q. F. SECV̄D
MATRI

In Diui Frontalionis.

C. FABRICIVS. L. F
CAM. AED. SIBI. ET
M. FABRICIO. L. F CAM
LIGVRI. FRATRI. AED. T. F. I
PHILETVS. ET. FVSCVS. L. F. C

Libet adponere etiam ad rem faciens lapidis epigramma. qui est in arce Pollentiae ad iij. ab Alba Pompeia lapidem. Fuit olim insigne oppidum Pollentia: nunc castellum est pusillum cum titulo tamen Comitatus.

SEX. LIVIO
C. F. CAM. SENECAE
IIIIII VIRO
M. LIVIVS. C. F
CAM. FRATER
IIIIII VIR
FAC. CVR

Brixiae quoq. in patria mea mihi semper cum egregia & debita praescriptione nominanda sunt marmora: quorum aliqua Tribum Fabiam, aliqua Publiliam ciuibus Brixianis adtribuunt. Inscriptio, quae Fabiam habet, refertur a Sigonio. Quae Publiliam laudat, etiam est in libro Appiani sic.

P. CLODIVS. L. F
PVB
NIGER
D. D

IN EODEM APPIANI LIBRO.

Apud Petrinum Sinuessanum.

L. PAPIVS. L. F. TER
POLLIO. II. VIR. L. PAPIO
L. F. FAL. PATRI

Vbi patri, & filio duae diuersae tribus adsignatae sunt Terentina & Falerina.

LOGEVM

LOGEVM: SCRIBENDO ADFVERVNT
Si uales, bene est. Kalendae primae.

Cap. IV

Libro Ep. Fam. V. in epistula ad Rufum sunt haec uerba.

" *Nam de Luccio ita est actum.*

Iosephus Scaliger ad Catulli epigramma in Mamurram legit " *Lucello.*

Temere facere tantum uirum ne suspicar quidem. considerādum tamen est, an locum hunc, & uocem ipsam aliquid iuuet Modestinus iureconsultus: qui tradit rationes ciuitatum adpellari λόγεια.

Lib. viij. epistula viij. legitur " *scribendo adfuerunt.* qui loquendi modus significat, testes fuerunt. Lampridius in Heliogabalo.

" *Quae* (mater) *cum uenisset ad consules, scribendo adfuit.*
" *idest, Senatus consulti faciendi testis.*

Idem scriptor interdum dicit, Ad scribendum. Iosephus lib. xiij. Antiquitatum, " *Praesente L. Manlio.* & lib. xiiij. " *Praesente L. Coponio.*

Scribebant autem Senatus consulta illi ipsi, qui scribendo adessent.

Itaq. Cicero ad Catonem lib. xv. Epist. Familiar. sic scribit.

" *Resq. ipsa declarat, tibi illum honorem nostrum supplicatio-*
" *nis fuisse iucundum, quod scribendo adfuisti. Haec enim*
" *Senatus consulta non ignoro ab amicissimis eius, cuius de*
" *honore agitur, scribi solere.*

Lib. v. eiusdem operis, epist. xiv. cur usurpat formulam hanc? " *Si uales bene est*, quae sollemnis fuit ijs, qui uel ipsi, qui scribunt, uel ij, ad quos dantur literae, essent simul, cum imperio & potestate, aut cum potestate solum? cum neuter magistratum, honorem ue ullum gereret? soluit dubitationem

hanc

ergo mulier testis fuit Senatusconsu[lti] Iosephus Graece [illegible]

hanc Plinius Iunior lib. 1. epiſtula ad Fabium, quae incipit ſic.

„ *Olim nullas mihi epiſtulas mittis. Nihil eſt, inquis, quod*
„ *ſcribam. At hoc ipſum ſcribe. Nihil eße, quod ſcri-*
„ *bas. Vel ſolum id, unde incipere priores ſolebant.*
„ *„. Si uales bene eſt: ego ualeo.*

Quod Plinij teſtimonium probat, priuatos etiam conſueuiſſe formulam illam epiſtulis ſuis ante ponere.

EXPOSITVS COELII EPISTVLAE ad Ciceronem locus. Nonius emendatus.

Cap. V

IN ultima epiſtula Coelij lib. viij. ad Ciceronem ſunt uerba ita diſtinguenda, ut nos nunc facimus. nam antea male.

„ *Tu porro, cum ad te, proficiſcens noctu*
„ *Ariminum, ueniſſem, dum mihi pacis*
„ *mandata das ad Caeſarem, & mirificum ciuem agis,*
„ *amici officium neglexiſti: neq. mihi conſuluiſti.*

Profectus eſt Ariminum Coelius una cum alijs fautoribus cauſſae Caeſaris. In eo itinere Coelius ad Ciceronem, qui Capuae, atq. orae maritimae praeerat, deuertit. Adceſsit quidem & Cicero Ariminum: ſed multo poſt ad Caeſarem Iuniorem: ut eſt apud Nonium in uerbo Rogare, ſic.

„ *Rogare quaerere & ſciſcitari. M. Tullius ad Caeſarem Iu-*
„ *niorem lib. 1. Roga ipſum: quemadmodum ego eum Ari-*
„ *mini acceperim.*

Quae uerba ſunt etiam in uoce „ *Accipere*, apud eumdem Nonium. quamquam ibi pro Arimini cõrupte legitur „ *Armis*. Sed hic auctor eget multa ope. in quam curam incumbit Fabius Bellonus iuuenis non ſpei, ſed meſsis uberrimae. qui nondum declaratus I. C. iuris interpres merito uirtutum ab excellentiſs.

Senatu

Senatu Mediolanienſi, Ticini eſt conſtitutus. Vbi in nobili auditorum frequentia docet cum legum maieſtate & grauitate, linguae Latinae Graecaeq., ſplendorem pridem a libris iuris peritorum exſulantem coniungere.

DE LIBERTORVM NOMINIBVS
Declaratus locus epiſtularum Familiar. lib. xiij

Cap. VI

SI Mithres, libertus Poſtumij fuit, cur libertatem conſecutus Praenomen & Nomen alterius nempe C. Curtij adſciuit ſibi? Liberti enim Praenomina & Nomina patronorum ſimul cum libertate referebant plerumq. An Mithres Poſtumij libertus principio cum libertate habuit nomina patroni? poſtea heres a C. Curtio inſtitutus cum condicione, ut nomen mutaret (plerumq. enim id iubebant, qui alienum, heredem inſtituebant: ut eſt in epiſtula viij. lib. vij. ad Atticum his uerbis:

» *Dolabellam uideo Liuiae teſtamento cum duobus cohere-*
» *dibus eſſe in triente: ſed iuberi mutare nomen.)*

relictis patroni nominibus Praenomen & nomen C. Curtij, in cuius haereditatem ueniſſet, accepit? An C. Curtius poſt datam Mithrae libertatem tranſiuit in gentem Poſtumiam adoptione, aut adrogatione, aut hereditate iuſſus nomen mutare?

An Mithres Poſtumij ſeruus commendatione & ſtudio C. Curtij libertatem a domino conſecutus Praenomen & Nomen commendantis accepit? Interdum enim ſerui facti liberi nomina eorum ſumebant, per quos eſſent libertatem adepti. Harum unam, aut aliam, ſi qua ſit his ſimilis, ſi admittimus cauſſam, nulla opus erit mutatione nominis Poſtumij in co-

gnomen

gnomen Postumi. quod putauit Paullus Manucius. Atq. haec nostra disputatio atq. expositio opportuna erit ad aliquot alia etiam harum epistularum similia loca.

PVDOR INVTILIS.

Cap. VII

PLanci ad Ciceronem haec sunt uerba x. lib. epist. xxiij

" *Pudor me, qui in bello maxime est periculosus, hunc casum coegit subire. uerebar enim, ne cui obtrectatorum uiderer & nimium pertinaciter Lepido offensus: & mea patientia alere bellum.*

" Pudor hic Planci Graecis δυσωπία dicitur. quae non tantum est inutilis, sed plerumq. damnosa. Legatur lib. I. Officiorum Cicero: ubi de iactura opinionis & gloriae facienda interdum, cum rationes reipublicae poscunt, facienda disputat. Adfertq. exempla Callicratidis & Cleombroti. quorum temeritate factum est, ut Lacedaemoniorum imperium graues plagas acceperit: dum ambo uerentes, ne timidi censerentur, maluerunt iniquo loco se tenere, & cum paratioribus pugnare: quam parendo sapienter monentibus locum mutare: & praelij conserendi occasionem in opportunius tempus reicere: & necessario tempore facere pusillam iacturam priuatae existimationis: maximo reipublicae suae emolumento illam fortasse paullo post redempturi. At non sic Contator Fabius, ab Ennio iure laudatus. qui solidam gloriam non in uulgi opinione & praedicatione, sed in sapientia & patriae incolumitate locabat.

" *Non ponebat enim rumores ante salutem.*

Legatur etiam Plutarchi Libellus de hac inutili uerecundia.

IN EPISTVLAM I. LIB. I epistolarum ad Atticum. Frater modis accipi potest pluribus.

Cap. VIII

"Caecilius auunculus tuus a P. Vario cum " magna pecunia fraudaretur, agere coe- " pit cum eius fratre Caninio Satiro. Verba sunt Ciceronis ex prima libri primi ad Atticum epistula. in quibus quaeri potest, quomodo Caninius Satirus fuerit P. Vario frater; qui gente fuerunt diuersa: hic Varia, ille Caninia. Verum sic solui & expediri dubitatio potest.

Aut germani quidem ambo fratres fuerunt: sed alter transierit in nomen & gentem aliam uel adoptione, uel adrogatinne, uel hereditate cum condicione: vt nomen mutaret in nomen adoptantis, aut adrogantis, aut instituentis heredem.

Aut fratres uterini fuere tantū, matre diuortio, aut post obitum prioris mariti alteri diuersae gentis nupta.

Aut ex sororibus, uel fratre & sorore patrueles fuerunt.

CICERONIS LOCVS IN Oratore perpensus.

Cap. IX

"EX usu dicunt, & e republica: quod in al- " tero uocalis excipiebat: in altero esset a- " speritas, nisi x. literam sustulisses. ut " Exegit, Edixit, Effecit, Extulit, Edidit. Verba sunt Ciceronis in Oratore. in quibus ego existimo abundare uocem illam *Effecit*, adductus ratione hac. Cicero hic habet sermonem de oratione: in qua x. uel seruatur

expedit

malè nā fuit ecfecit, cū debeat [illegible] geminari

uel tollitur. Exegit & Extulit x. seruant: at Edixit & Edidit amittunt. In uoce Effecit neutrum contingit, sed mutatur. Haec est caussa, quam ob rem uerbum illud expungendum censeam.

Obserua praeterea, Ciceronem statuere, Edico & Edo, aliaq. horum similia non ex E. sed Ex praepositione componi.

Sequitur statim locus alter fortasse conruptus, certe obscurus.

„ *Adiuncti uerbi primam literam praepositio commutauit. ut*
„ *suffugit, summutauit, sustulit. Quid in uerbis iunctis?*

Maioragius legebat, Adiuncti uerbi prima litera praepositionem mutauit.

Sed tam audax tot uerborum mutatio nō placet Paullo Manucio, qui sic legit, diuisa prima dictione composita in duas simplices; sic.

„ *Ad iuncti primam literam praepositio commutauit.*
exponitq. „ *commutauit*, *commutata est*. quemadmodum legimus. apud Virgilium,

„ *Nox humida caelo Praecipitat*, *pro praecipitatur*.
Sed nec ipse duabus de caussis satisfacit. Prior est. Si de huiusmodi iunctis uerbis intelligeret Cicero, quorsum statim subdidisset, Quid in uerbis iunctis?

Altera. sententia non procederet. nam si intelligi uult, nihil aliud significare, Praepositionem commutatam ad primam literam uerbi iuncti, nisi in primam uerbi iuncti literam transire, idest, si prima litera uerbi sit M, etiam ultimam literam praepositionis fieri M, quid fiet uerbo „ *Sustulit?* quod uerbum est in exemplo Ciceronis: in quo B. in S. non in T. est commutatum? Itaq. suspicari aliquis iure possit, uocem minimè uerò
„ *Sustulit* omnino esse delendam. quippe quae huc se librariorum incuria intruserit. Sed quemadmodum nonnulli medici interdum (bene ne, an male, uideant ipsi) in corpore aegrotantis humores tantum excitant & commouent, non discutiunt, & eiciunt: sic ego hic admoneo tantum, aut etiam consulo: non censeo, aut statuo.

DVOS

DVOS GERMANOS FRATRES eodem Praenomine.

Cap. X

EXistimant uiri docti, Q. Caecilium Metellum Nepotem, & Q. Caecilium Metellum Celerem fratres germanos non fuisse: quoniam uterq. eodem Praenomine fuit. Non temere censere eos iudico. Est tamen in Hasta Colonia in pauimento maximi sacelli templi D. Secundi ad forum, antiqua tabula marmorea cum hac inscriptione.

C. FVLVIVS. C. L. TARCVSSA
PATER
C. C. FVLVII. FIDELIS. ET.
PACATVS. FILII
FVLVIA. C. L. EPICHARIS
MATER

Quid de Flauijs dicemus? quorum non modo pater Vespasianus, & duo filij Titus & Domitianus, sed etiam Vespasiani pater & auus: frater quoq. cum filijs Praenomine Titi uniuersi fuerunt nominati? Verum iam ea tempestate mores & literae ab antiqua puritate recedebant.

Lips. Elect. lib. I. c. 8. p. 50.

Cognomen de Papia

PRIDIE KALEN. IANVARII

Consul prope priuatus erat.

Annuus magistratus.

Cap. XI

CIceronis lib. v. ad Metellum epist. secunda sunt haec uerba.

" *Atq. ille, quod te audiuisse certo scio,*
" *pridie Kalen. Ianuarias, qua iniuria ne-*
" *mo umquam in aliquo magistratu impro-*
" *bissimus ciuis adfectus est, ea me consu-*
" *lem adfecit, cum rempub. conseruassem, atq. abeuntem*
" *magistratu concionis habendae potestate priuauit.*

Qua specie iuris Metellus sibi licere existimauit in consulem tantam iniuriam audere? suspicor (fieri potest, ut fallar) diem pridie Kalen. Ianuarias, idest, ultimum consulatus diem fuisse tamquam uacuitatem consulatus, & quasi interregnum. ut Cicero eo die fuerit prope priuatus, & quasi (ut sic dicam) sine consulatu consul. Propterea Metellus Tribunus plebis iudicauit, minore inuidia sibi licere eo die iniuriam cum ignominia Ciceroni imponere. Alioqui tam insignem in maximum magistratum audaciam, tacitam a Senatu populoq. Romano ferre non debuit. Suborta est autem mihi suspicio haec ex uerbis Digestorum, quae adponam.

" *Lex v. ff. de ferijs.*
" *Vlpianus lib. lxij. ad edictum.*
" *Pridie Kalen. Ianuarias magistratus nec ius dicere, sed nec*
" *sui potestatem facere consueuerunt.*

Mos porro iurandi in concione pridie Kalen. Ianuarij transiuit sublata libertate ad Imperatores: Dicis uidelicet gratia. Quo Plinius Iunior respiciens in Panegyrico ad Traianum inquit.

" *Itaq. abiturus consulatu iurasti, te nihil contra leges fe-*
" *cisse.*

occa-

occaſionem huius obſeruationis dedit mihi Octa-
uianus Giglijnus patricius Alexandrinus I. C. ex-
cellentiſs. meae diſciplinae gratiſsimus Alumnus.

FESTI LOCVS ADIVTVS

Cap. XII

Miratur uir doctus, cur Feſtus faciens uerba de ſeptem montibus Romae enumeret octo his uerbis.
,, *Septimontio, ut ait Antiſtius Labeo,*
,, *hiſce montibus feriae. Palatio, cui ſa-*
,, *crificium, quod fit, Palatuar dicitur.*
,, *Veliae: cui item ſacrificium. Fagutali, Saburrae, Ger-*
,, *malo, Oppio, Coelio monti, Ciſpio monti.*

Locus eſt omnino conruptus. totum tentare ſine ope ueteris alicuius melioris libri inſanire eſt. Sed quod adtinet ad numerum mõtium, conſtabit ille; ſi, ubi ſcriptum eſt *Veliae, cui item ſacrificium, Fagutali; Saburrae,* & reliq. ſic legamus.
,, *Veliae, cui item ſacrificium Fagutal.*

Recte. Nam ut Palatio Palatuar ſacrificium fuit, ſic Fagutal Veliae. quam rem alibi etiam idem Feſtus tradit. Varroni quoq. lib. IV. eſt Sacellum ſiue lucus Iouis Fagutalis: ubi ſacrificium fiebat Fagutal. Auſim etiam, in ijſdem uerbis Feſti, ubi legitur
,, *Veliae cui item ſacrificium Fagutal*, tollere uocem
,, *Veliae:* & reponere ,, *Eſquiliae.* Fuit enim Fagutal
,, in Eſquilijs auctore P. Victore, & Varrone lib. IV
Non me latet Marlianum lib. V. cap. XIX. ſcribere, Sacrificium nomine Fagutal fieri ſolitum eſſe in Viminali. Sed idem Marlianus eodem capite dixerat,
,, *Viminalem a Varrone inter Eſquilias connumerari.*

ris[?] hic modo[?] ſenum[?] meratur

STATIVS Praenomen, interdum Nomen. & Cognomen. Volcatij Sedigiti uersus emendatus.

Cap. XIII

STatius modo Praenomen, modo Nomen, modo Cognomen fuit. Praenominis testimonium exstat Aquis Statiellis in antiquo marmore aedium Iuliani Ecclesiae.

L. METTIO. L. F
L. ATTIO. ST. F. RVBRIA
VARIENO. C. F. SECVDA
FILIO. VIRO. SIBI. V. F

Taurini.

Taurini. in turri templi Antoniani
Sancti Delmatij.

T. AEBVTIVS
SECVNDVS
SIBI. ET
ST. AEBVTIO
OPTATO. PATRON
ST. AEBVTIO. SEC
P. C

Ibidem in aedibus Hieronymi
Agathiae.

DOMITIO. M. F
ST. MARCELLO
CACTIA. VXOR

Meminit etiam Liuius lib. IX. Statij Cellij imperatoris ſamnitium. Valerius quoq. Probus Statium inter Praenomina enumerat. Gentile uero fuiſſe etiam nomen ſatis probant marmora aliquot in libro Petri Appiani in quibus eſt mentio C. Statij Fauſti. C. Statij Primigenij: C. Statij Neureti: Statij Saturnini.

Eſt

Eſt etiam apud Plinium lib. IX. cap. XV. Statius Sebosus. Fuluius quoq. Vrſinus in lib. de familijs de hac doctrina diſſerit.

De cognomine uero ſatis ſit referre uerba Agellij lib. IV. cap. XIX. Quod etiam eo libentius facio: quod a nonnullis non omnia uerba, a quibuſdam etiam fide non integra adponuntur. ea ſic habent.

Panuinum innuit.

» *Et cur, inquiunt, ita eſt: ut tu ſis, quam equus curatior? Quoniam (inquit) ego me curo: equum Statius. Viſum parum reuerens eſſe reſponſum. relatuſq. in aerarios, ut mos eſt. Statius autem ſeruile nomen fuit. Pleriq. apud ueteres ſerui eo nomine fuerunt. Caecilius quoq. ille comediarum poeta inclytus, ſeruus fuit. & propterea nomen habuit Statius. ſed poſtea uerſum eſt quaſi in cognomentum, adpellatuſq. eſt Caecilius Statius.*

Recte Agellius. nam ſeruorum nomina, cum libertate erant donati, poſtremo loco ponebantur. Opportune autem iuuandus eſt conruptus apud Agellium Sedigiti Volcatij uerſus lib. XV. cap. XXIV

» *Caecilio palmam ſtatuo de comico.*

Nonnulli habita tantum ratione uerſus, claudicantem defectu temporis & ſyllabae ſic fulciunt.

» *Caecilio palmam ſtatuo dandam comico.*

ſed tanta & tam audax mutatio non placet. Aldus Manucius amicus meus peritam arte & conſuetudine medendi manum feliciter adhibuit. Ille cum aliquot ab hinc annos Genua, Venetias reuerteretur, & de recta uia non nihil deflectens, ut me paternum amicum, quem tamen de facie nondum norat, uiſeret, Alexandriam uenit. perhumaniterq. pro ſua liberali natura & probitate domi me ſalutauit. Accepi laetans, & amplexus, ut debui, hominem, blande tamen & molliter adcuſatum atq. increpitum: quod non recta ad Mattium, pro paterna amicitia, & pro merito ſuo (boni enim ad bonorum ut conuiuium, ſic hoſpitium non uocati adcedunt) deuertiſſet. pro peccatoq. ſtatim impoſita eſt a me multa: ut apud me cenaret, & eſſet, quamdiu Alexandriae

xandriae moraretur. Renuenti initio uerecunde, & excusanti, apage, inquam, delicias cum putidiuscula ista modestia & pudore. Non alio pretio redimes culpam, quae admissa est: cum de porta ad ianuam nostram recta non uenisti. sic condicionem accepit cum exceptione tamen, ne asymbolus sederet. Festiue, ego inquam, atq. ut lubebit: modo symbola sit musica. Ergo adposita mensa, cum ego: heus uos κατὰ χεῖρας ὕδωρ: excipiens ille: At ego prius symbolam. & simul prolato uersu Sedigiti, uitium in eo indicat & tollit, sic illum restituens.

„ *Caecilio palmam Statio dem comico.*

Probam, ἦν δ' ἐγώ, proba moneta symbolam,
Iudice me. ita me dius fidius amet bene.
Vt si secus quis sentiat, male sentiat.

Nostri sunt hi uersus.

Ante quam autem ab eiusdem Volcatij epigrammate discedamus, restituamus ibi duobus uersibus legitimam mensuram.

„ *Eum me iudice errorem dissoluam tibi.*

si iudice me legas non me iudice, constabit uersus. Ea uero forma dicendi.

„ *Eum errorem me iudice dissoluam tibi,*

rara quidem est: usurpata tamen cum ab alijs, tum a Cicerone ad Atticum lib. x

„ *Obsignata iam epistula superiore, non placuit ei dari, cui*
„ *constitueram.*

Caesar belli Gallici lib. v

„ *Quo percusso & exanimato, hunc scutis protegunt hostes.*

ubi legitur „ *hos*, legamus „ *illos* uel *istos*.
in hoc Porro uersu.

„ *In sexto consequitur hos Terentius.*

pro *hos Terentius*, lege, *istos*, uel *illos Terentius*.

„ *In sexto consequitur illos Terentius.*

uel, quod multo blandius adridet mihi, addito uno maxime proprio, & hic adcommodato uerbo.

„ *In sexto consequitur loco hos Terentius.*

Quod autem nonnulli posśint suspicari, parum esse cõsultum primis duabus syllabis in uerbo „ *Licinius*.

in illis uersibus.

" *Si quid quarto detur, dabitur Licinio.*

sciat ille, utrasq. syllabas cadere in arbitrium scribentis carmen. Papinius Statius lib. IV. Thebaid.

" *Si stagna Licinia restant.*

Horat. lib. ij. carmin.

n " *Me dulcis dominae musa Liciniae.*

& iterum ibidem.

n " *Permutare uelis crine Liciniae.*

Idem.

" *Rectius uiues Licini, neq. altum*

" *Semper urgendo*

& in epist. ad Pisones.

" *Tonsori Licino commiseris.*

PLINII LOCA DVO EMENDATA.

Cap. XIV

EX ipso Plinio Plinij locum inuenimus lib. XXXVI. cap. IX., ubi de obeliscis agit.

" *Naues duas* (inquit) *in latitudinem patulas pedalibus ex eodem lapide ad rationem geminati per duplicem mensuram ponderis oneratas, ita ut subirent obeliscum pendentem extremitatibus suis in ripis utrinq.: postea egestis laterculis adleuatas naues excepisse onus statutum.*

Lege addita, post illa uerba " *pedalibus ex eodem lapide,* uoce laterculis: sic.

" *Naues duas in latitudinem patulas, pedalibus ex eodem lapide laterculis, ad rationem geminati per duplicem mensuram ponderis oneratas.*

sequitur enim in eadem periodo paullo post,

" *postea egestis laterculis adleuatas naues.*

in quibus his uerbis postremis uox haec " *naues*, superuacua est: & ideo delenda. namq. cũ iam dixerit ante " *Naues duas*, ea uox non fuit repetenda.

Eodem capite, ubi legitur

„ *Omnibus, quae umquam in mari uisa sunt.*

Scribe. „ *uisae sunt.* naues scilicet.

Sequenti in capite sunt haec uerba.

„ *Tertius Romae in Vaticano Cai & Neronis principum cir-*
„ *co ex omnibus unus omnino fractus est in molitione,*
„ *quem fecerat Sesostris filius Numcoreus.*

Hic est ille Obeliscus: quem iacentem & neglectum dignus immotali memoria Xistus V. Pontifex Max. erexit ad limina D. Petri, adhuc totus integer, & nulla in parte laesus: nedum fractus aetate Plinij fuerit. Quae obelisci integritas admonuit Philippum Pigafettam diligentem narratorem erectionis huius obelisci, ut consuleret ueteres Vaticanae bibliothecae scriptos calamo Plinij libros. in quorum uno diserte sic inuenit scriptum: atq. ita omnino locus ad illius exemplum est restituendus.

„ *Tertius Romae in Vaticano Cai & Neronis Principum*
„ *factus imitatione eius: quem fecerat Sesostris filius*
„ *Numcoreus.*

minimè uero.

EIVSDEM PLINII
locus emendatus.
Cap. XV

HActenus non esse animaduersum insigne uitium in uerbo Plinij lib. viij. capite xliij. ad finem, iure omnes admirari possunt. sunt autem uerba haec.

„ *Asino moriente uiso celerrime id genus*
„ *deficit.*

i

Inepta, & contra naturae rationem scripturae huius est lectio. Primum quis umquam testetur, id uel semel adcidisse? Deinde genus ullum non interit. Ego & ex sympathia, communi non asino solum, sed homini etiam, & multis alijs animantibus: quae uiso compare meiere, meiunt & ipsa: & ex Aphro-

disaei problemate xxxv. suam Plinio integritatem sic restituo.

" *Asino meiente uiso, ceterum genus idem facit.*

Arbitror, fore neminem: qui non fassurus sit: parua paucarum literarum iactura & mutatione succursum esse foede laborantibus Plinij uerbis. Aphrodisaei uerba Latine sic habent.

minimè vero.

" *Meiente asello ceteri item meiunt.*

EIUSDEM PLINII declaratus locus.

Cap. XVI.

Libro iij. cap. xvij. inquit Plinius.
" *Vercellae Libycorum ex Salyis ortae.*
" *Nouaria ex Vertomacoris Vocontiorum*
" *hodieq. pago, non, ut Cato existimat,*
" *Ligurum. ex quibus Laeui & Marici*
" *condidere Ticinum non procul a Pado:*
" *sicut Boij trans Alpes profecti Laudem Pompeiam.*

In his Plinij uerbis uox illa relatiua " *ex quibus*, non refert propinquiorem dictionem " *Ligurum*: ut perperam putauit Georgius Merula (si tamen primus ille huius sententiae auctor fuit) & multi alij, etiam qui nūc scribunt, Merulae errorē securius secuti: sed respicit ad " *Vertomacorum*, uel potius *Vocontiorum*, hoc sensu. Ex quibus Vertomacoris, siue Vocontijs Laeui & Marici condidere Ticinum: sicut Boij (Galli hi quoq. ex eadem Gallia profecti) Laudem Pompeiam: Insubres Mediolanium. Porro Plinius Boios trans Alpes dixit: ut discerneret a Boijs Italicis: qui ex eadem gente multo ante cis Alpes incolebant. Qui diligenter locum Plinij perpendent, sine dubio mecum facient. Sed Merula, qui in huiusmodi coniecturis temerario iudicio saepe praeceps ruit, non solum credidit, Laeuos & Maricos istos fuisse Ligures in ea parte, ubi nunc est Alexandria,

non

non intellecto loco Plinij: sed etiam (rem risu excipiendam) non semel statuit, Maricos istos incoluisse loca: ubi est Marencum: qui est nunc uiculus desertus: ac ruricolarum, & plerumq inquilinorum statio, ad secumdum ab Alexandria lapidem Dertonam euntibus. Eamdem quoq. historiam Liuius lib. v. tradit his uerbis.

» *Post hos Saluij. qui praeter antiquam gentem Laeuos, Li-*
» *gures incolentes citra Ticinum amnem expulere. Poe-*
» *nino deinde Boij, Lingonesq. transgressi, cum iam inter*
» *Padum atq. Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus*
» *traiecto non Etruscos modo, sed etiam Vmbros agro*
» *pellunt.*

DVO XIPHILINI loca animaduersa.

Cap. XVII

XIphilinus, qui Dionem in compendium contraxit, fallitur: cum scribit: Vitellium ex propinquis Othonis & Vespasiani occidisse neminem. Namq. ex Suetonio in Vitellio, & ex Iosepho lib. v de bello Iudaico constat, Sabinum Vespasiani fratrem ad Vitellium adductum iussu eius necatum fuisse.

Idem scribit, Pertinacem Imperatorem Afrum natione fuisse: qui Ligus fuit Alba Pompeia oriundus. quae urbs est in ea Liguriae parte, quae ad Ligures Epanterios pertinet ad ripam Tanari sita. Sed hominem duxit in fraudem uel Imperator Seuerus: qui aliquot post annos imperauit adsumpto sibi nomine Pertinacis. (hic enim uere Afer fuit): uel uox graeca: quae apud Dionem λιγυς, idest Ligus fuit. Ille properans & securus animi λιβυς esse putauit. Itaq. Afrum uertit. In Alba uero Pompeia duae fuerunt gentes Pertinacium, Iulia & Heluia: insigni

insigni errore eorum: qui apud Spartianum, Aelium scribunt. Qui enim Romae Imperauit, fuit P. Heluius Pertinax. Iuliae gentis exstat adhuc Albae Pompeiae in aedibus Scotiarum monimentum in marmore sculptum hoc.

CN. IVLIO
PERTINACI
AED. QVEST
PRAE. FABR
CN. DIDIVS
HERMES
FILIO. PIISSIMO
LDDD

TERENTII LOCVS ANIMADVERSVS.
Prolubium.

Cap. XVIII

IN fine Adelphorum Terentij legitur.
„ *Quod proluuium? quae istaec subita est*
„ *largitas?*
Ego ex Donati docti hominis interpretatione, qui προθυμίαν exponit, non proluuium, sed prolubium lego. intelligoq. non prodigam profusionem, sed nimiam animi uoluntatem & libidinem largiendi. Neq. a Proluendo, sed a Prolubendo (liceat enim sic nunc loqui) deduco. Quod si Proluuium retineamus, erit eadem uerbi significatio, more scribendi antiquorum: apud quos in multis uocibus B. & V. inuicem

cem sibi cedebant. Itaq. in antiquis inscriptionibus legimus „ *Dannuuium*, & *Veneuenti*: pro Dannubium, & Beneuenti. quemadmodum contra, Bixit pro Vixit: & Suebico bello, pro Sueuico scripserunt. Sic apud Apuleium lib. x. Asini aurei.

„ *Et unguẽto fragrantissimo proluuium libidinis suscitaram.*

Haec postea ab alijs quoq. obseruata esse animaduerti.

A. significat Non. Ausonius declaratus.

Cap. XIX

Versus ille Ausonij

„ *Vna fuit tantum, qua respondere Lacones*

„ *Litera. & irato regi placuere negantes.*

multos habet expositores, & coniectores: sed nemo adhuc, quod sciam, conlimauit recte. Alij enim pro „ *Litera* reponunt *Syllaba*. quoniam τὸ οὐ negatiua uox, sit syllaba, non una litera tantum. Alij seruant „ *litera*: sed literam pro syllaba accipiunt. Ego & „ *Litera* retineo: & iudico, Ausonium, cum litera dixit, non τὸ οὐ sed τὸ ά. intellexisse: quae est uox recusantis & negantis. Huius interpretationis me commonuit Suidas in φιλοξένου γραμμάτιον. Hic Philoxenus Cytherius fuit. qui acceptis a Dionysio literis, quibus ille hominem ad se inuitabat, nihil quidem per literas respondit: sed libellum misit nihil aliud scriptum habentem, nisi saepius repetitum ά. Inde prouerbium „ *Philoxeni libellus*. Quod prouerbium & recusandi obstinatam constantiam, & breuitatem Laconicam significat.

al. conlineauit.

DE

DE TRISMEGISTO. AESCVLAPII *locus animaduersus. De antiquitate linguae Graecae.*

Cap. XX

Mercurij plures fuerunt. Auctores id docent multi. Vni ex illis antiqui cognomen posuerunt Trismegisto: idest, Ter maximo. Caussam cognominis tradunt alij aliam. Suidas in voce Ἑρμῆς, censet: quod de Trinitate Dei nostri, Dei ueri, & de tribus Trinitatis personis locutus est: & quidem primus, ut nonnulli tradiderunt, fortasse non male. Sed id paullo post uidebimus. Nunc quid Suidas dicat, audiamus.

Ερμῆς ὁ Τρισμέγιστος. οὗτος ἦν αἰγύπτιος σοφός. ἤκμαζε δὲ πρὸ τοῦ Φαραώ. ἐκέκλητο δὲ τρισμέγιστος, διότι περὶ τριάδος ἐφθέγξατο εἴπων, ἐν τριάδι μίαν εἶναι θεότητα οὕτως. ἦν φῶς νόερον πρὸ φωτὸς νοεροῦ. καὶ ἦν ἀεὶ νοῦς νόος φωτεινός. καὶ οὐδὲν ἕτερον ἦ, ἡ τούτου ἑνότης καὶ πνεῦμα πάντα περιέχον. ἐκτὸς τούτου οὐ θεὸς, οὐκ ἄγγελος, οὐκ οὐσία τις ἄλλη. πάντων γὰρ κύριος καὶ πατὴρ, καὶ θεὸς, καὶ παντα τὰ ὑπ᾽ ἄυτον, καὶ ἐν αὐτῷ ἐστιν. ὁ γὰρ λόγος αὐτοῦ παντέλειος ὢν καὶ γόνιμος, καὶ δημιουργικὸς ἐν γονίμῳ φύσει. παῖς ὤν, καὶ γονίμῳ ὕδατι, ἔγκυον τὸ ὕδωρ ἐποίησε. Καὶ ταῦτα εἰρηκὼς ηὔξατο λέγων. ορκίζω σε οὐρανὲ θεοῦ μεγάλου σοφὸν ἔργον. ὁρκίζω σε φωνὴν πατρὸς, ἣν ἐφθέγξατο πρωτὴν, ἡνίκα πάντα κόσμον ἐστηρίξατο. ὁρκίζω κατὰ τοῦ μονογενοῦς λόγου, καὶ τοῦ πατρὸς τοῦ περιέχοντος πάντα. ἵλεως ἵλεως ἔσο.

Cum Suida facit etiam Georgius Corenus in compendio historiarum sic scribens, cum de Sesostre rege Aegypti loquitur.

Επὶ τουτου Ερμην φάσιν ἐν αἰγύπτῳ θαύμαστον ἄνδρα γνωσθῆναι. καὶ φόβερον ἐπὶ σοφίᾳ, ὅς ἔφρασε, τρεῖς μεγίστας εἶναι δυνάμεις τοῦ δημιουγου τῶν ὅλων θεοῦ, μιὰν θεότητα εἶναι. δια καὶ τρισμέγιστος Ερμῆς κατωνομᾶσαι.

Libenter autem retulimus uerba a Suida relata: quoniam in libro, qui nunc circumfertur, Mercurij Trismegisti, non sic posita eadem, & continuata

sunt,

ſunt, licet ſententia non diſcrepent. Hinc conicere poſſumus, multa alia in eodem libro deſiderari. quam rem etiam fragmenta quaedam comprobant, quae ſunt apud Stobaeum. quae in hoc libro non ſunt. ſed ad rem. Alij Triſmegiſtum adpellatum tradunt, quod maximus rex, quod maximus philoſophus, quod maximus ſacerdos fuerit. Falli hos puto adductus ad hoc putandum ab hiſtoria. Diodorus namq. ſiculus regem non fuiſſe aperte teſtatur libro j. & ij. Verba ex primo latine haec ſunt, ubi de rege Oſiride loquitur.

" *Tradunt autem Oſiridem, Aegypti regno conſtituto, re-*
" *rumq. omnium cura Iſidi uxori permiſſa, tradidiſſe ei*
" *Mercurium: cuius conſilio, quoniam prudentia uidere-*
" *tur excellere, inter omnes, uteretur.*

& paullo poſt.

" *Ego ſum Iſis Aegypti regina a Mercurio erudita. Quae*
" *ego legibus ſtatui, nullus ſoluat. Ego ſum uxor Oſi-*
" *ridis. Ego ſum prima frugum inuentrix. Ego ſum Ori*
" *regis mater.*

& quae ſequuntur. Quod epigramma etiam inſculptum eſt in columna Calletiae Vrbis Hiſpaniae Tarraconenſis. Idem Diodorus lib. ij

" *At uero ſacerdotes, diſciplinarum, artiumq. repertorem*
" *Mercurium fuiſſe tradunt. Eorum uero, quae ad uitam*
" *ſpectant, Reges.*

Beroſus quoq. & Manaethon in ſuis chronologijs ullum fuiſſe Aegyptijs regem nomine Mercurium non tradunt. Lactantius ex praeſtantia ingenij & uirtutum nomen hoc eſſe conſecutum ſcribit lib. 1. de Falſa religione ſic his uerbis.

" *Inſtructiſſimus omni genere doctrinae adeo, ut e multa-*
" *rum rerum & artium ſcientia Triſmegiſto nomen im-*
" *ponerent.*

Idem libro de Ira Dei.

" *Idem teſtatur Hermes: quem Cicero ait in numero Deorum*
" *apud Aegyptios haberi: eum ſcilicet: qui ob uirtutem,*
" *multarumq. artium ſcientiam Triſmegiſtus nominatus.*

De huiusmodi cum ternario numero compositione nominum memini alias a nobis alibi in hanc sententiam fuisse disputatum.

Literarum Agyptiarum usus fuit etiam aetate Gordiani Augusti. Cuius sepulcrum (ut est in libro Appiani inter epigrammata Vrbis Romae) inscriptum fuit uariarum linguarum literis, Graecis scilicet, Latinis, Persicis, Iudaicis, & Aegyptijs. Qui autem credunt Mercurium scripsisse prius quidem sua, idest Aegyptia lingua, deinde etiam Graeca, somnia somniant anilia.

Quaeri hic potest, qua lingua Trismegistus mysteria tanta atq. tam sublimia scripserit, & exposuerit. Tradunt omnes, sua. Quae uero sua fuerit Aegyptijs lingua in controuersia est. Censent nonnulli Hieroglyphicas literas fuisse. sed id a uero abest. nullum enim in hoc Trismegisti, quem habemus, libro extat sacrarum literarum uestigium. Ego suam Aegyptijs linguam fuisse illam Arameam ab illis secum ex Armenia in Aegyptum portatam duce Cham, quem aliter etiam Chem, Camesenum, & Zoroastrum adpellatum scribunt. Quo a patre Noe, siue Noa, qui Ogyges alijs, alijs etiam Ianus dicitur, cum magno sociorum numero ad incolendum illam prouinciam missus fuit. ut apud Berosum legitur.

Qui autem credunt, Mercurium scripsisse primum sua, idest Aegyptia lingua, deinde etiam Graeca, quo in numero est Marsilius Ficinus in Pymandrum Trismegisti, ualde errant. Tantum abest, ut id uerum sit (de Graeca intelligo) ut Aegyptij existimarint, suas doctrinas graeca lingua nullo modo posse recte exprimi. Cuius rei quod locupletius testimonium citabimus, quam ipsius Mercurij cuius uerba sunt relata ab Aesculapio Mercurij discipulo initio libri, Definitionum? sic enim inscribit opusculum suum ad Hammonem Aegypti regem. quem etiam monet atq. hortatur, ne graecis translationibus contami-

minari

nari, & quasi profanari maiestatem scriptorum Trismegisti patiatur.

Ερμῆς μεν γαρ (inquit Aesculapius) ὁ ἐμὸς διδάσκαλος πολλάκις μοὶ διαλεγόμενος, καὶ ἰδία, ϗ τοῦ τατ παρόντος ἔλεγεν. ὅτι δόξει τοῖς ἐντυχάνουσι μοῦ τοῖς βιβλίοις ἁπλουσάτη εἶναι ἡ σύνταξις, ϗ σαφὴς. ἐκ δὲ τῶν ἐναντίων ἀσαφὴς οὖσα, ϗ κεκρυμμένον τὸν νοῦν τῶν λόγων ἔχουσα. Καὶ ἔτι ασαφεσατη τῶν ἑλλήνων ὕϛερον βουληθέντων τὴν ἡμετέραν διαλεκτον εἰς τὴν ἰδίαν μεθερμηνεῦσαι. ὅπερ ἔϛαι γεγραμμένων μεγίϛη διαϛροφὴ τε, ϗ ἀσάφεια. ὁ δὲ λόγος τῆ πατρῴα διαλέκτῳ ἑρμηνευόμενος ἔχει σαφῆ τὸν τῶν λόγων νοῦν. Καὶ γαρ αὐτο τό τὴς φωνῆς ποιὸν, ϗ ἡ τῶν αἰγυπτιων ʼονοματων δύναμις ἐν ἑαυτῆ ἔχει τὴν ἐνέργειαν τῶν λεγομένων.

Ὅσον οὖν δυνατὸν ἐϛὶ σοι βασιλεῦ (πάντα δὲ δύνασαι) τὸν διατήρησον ἀνερμήνευτον: ἵνα μήτε τῶν ἑλλήνων ὑπερήφανος φρασις ϗ ἐκλελυμένη ἐξίτηλον ποιήσῃ τὸ σεμνὸν ϗ ϛιβαρὸν, ϗ τὴν ἐνεργητικὴν τῶν ὀνομάτων φράσιν.

Ελληνες γαρ ὦ βασιλεῦ λογους ἔχουσι κενοὺς ἀποδείξεων ἐνεργητικους. Καὶ ἄυτη ἐϛὶν ἑλλήνων φιλοσοφία λόγων ψόφος. ἡμεῖς δὲ ὀυ λόγοις χρώμεθα, ἀλλὰ φωναῖς μεγιϛαις τῶν ἔργων. *al. καινους.*

In fine loci huius duae sunt maculae, cognitae quidem a nonnullis & tentatae, sed non feliciter elutae & purgatae. Etenim pro κενὸυς, quam uocem uiderunt hic locum non habere, reposuerunt καινοὺς. & ubi est φωναις μεγίϛαις, μεγίϛας legunt. Ego κενὸυς conseruo: & pro μεγιϛαις detracta media syllaba μέϛαις repono. sic sua gratia utriq. loco uindicabitur. Ita igitur lego.

Ἕλληνες γαρ ὦ βασιλεῦ λόγους ἔχουσι κενοὺς ἀποδείξεων ἐνεργητικους. ϗ ἄυτη ἐϛιν Ελλήνων φιλοσοφία, λόγων ψόφος. ἡμεις δὲ ὀυ λόγοις χρώμεθα, ἀλλὰ φωναῖς μέϛαις τῶν ἔργων.

idest

Graeci enim, o Rex, uerba habent (rerum) inania, composita ad ostentationem. estq. haec Graecorum Philosophia, uerborum strepitus. At nos non uerbis, sed uocibus rerum plenis vtimur.

Ex his, quae retulimus, euidenter adparet, nec regem fuisse Trimegistum Mercurium, nec Graeco idiomate mysteria ea conscripsisse, sed suo: id est, ut ego conicio, Aramaeo. Neq. uero quisquam suspi-

cetur, haec a me ſcripta ideo fuiſſe, quod de dignitate Graecae linguae, cui honorem habeo, quidquam derogatum uelim. Sciant omnes, iudicare me, ab omnibus Graecarum literarum ſtudioſis magnam eſſe habendam gratiam Aeſculapio: qui niſi ſit, inſignē fortaſſe illae iacturam faciant dignitatis, quam ex antiquitate (vt alia praeſtantiora merita ſileam) ſunt conſecutae. Etenim nonnulli ex antiquis ſcriptoribus adfirmare non dubitauerunt, literas Graecas per belli Troiani tempora, ſi non deſideratas, certe inchoatas & rudes: quippe quae a Cadmo ex Phoenicia in Graeciam centeſimo, alijs centeſimo quadrageſimo primo, plus minus, ante euerſam Troiam anno adlatae ſint. Vt eorum opinionem praeteream: qui recentiorem faciunt. Cum tamen ex hoc Aeſculapij teſtimonio, literarum Graecarum uſum in honore, multo ante Troiam conditam fuiſſe uideamus. Siquidem hic Aeſculapius floruit ſub Aegypto Danai fratre, & rege Aegypti: quem ipſe Aeſculapius Hammonem uocat: & cui librum ſuum Definitionum inſcribit. Huius regni anno undecimo Dardanus Dardaniam condidit: quae poſtea Troia eſt dicta. Hac tempeſtate florebat Triſmegiſti filius Tat. quo tempore Moſes auctore Euſebio, in Deſerto genti Hebraeorum praeerat. ut neceſſe ſit, Triſmegiſtū τοῦ Tat patrē aetate anteceſsiſſe Moſen. Quod ideo dictū eſt, ne quis miretur id, quod ſupra eſt narratum, cenſere aliquos, Triſmegiſtum ante Moſen ſcripſiſſe. De Pharaone, quem Suidas nominat, & qui a Beroſo Chencres adpellatur, non eſt hic dicendi locus. ſed occaſio admonet, ut de Danai & Aegypti fratrum uarijs adpellationibus dicamus. Notiſsimi, cantatiſsimiq. ſunt Graecis perinde atq. Latinis monimentis Aegyptus & Danaus fratres: prole Aegyptus L. filiorum: Danaus L. filiarum: & ſcelere, ac poenis Danaidum. quae patrueles fratres & ſponſos, una excepta Hypermeſtra; quae ſponſum ſuum ſeruauit incolumen, prima nocte

iuſſu patris Danai interemerunt. Aegyptus Aegypti rex (prouincia enim a domino nomen inuenit) is eſt: quem Aeſculapius, ut ſupradictum eſt, Hammonem uocat. Beroſus in fine ſuae Chronologiae, & Euſebius Rameſen cognomine Aegyptum nuncupant. Ioſephus uocat Sethoſim libro primo contra Apionem. Frater Armaus, ſiue etiam Armeus cognomine Danaus ab ijſdem Beroſo & Euſebio nominatur. Tangendam hic putaui breuiter hanc nominum uarietatem: ne quis in horum nomenclatura auctorum, quos nominaui eorum aliquos putet errare: aut eorum libros eſſe conruptos. & reliquos ex uno eſſe emendandos. ſua cuiq. nomina ſunt relinquenda & ſeruanda.

DE GENITIVIS NOMINUM propriorum in ius una ſyllaba finientium Nominatiuos. Compoſita a Iacio, ut Abicio, uno i. ſcribenda. Emendati uerſus Ennij & Plauti. Actij uerſus apud Cicer. reſtitutus.

Cap. XXI

NEmo non nouit, propria nomina flexus ſecundi, finientia nominatiuum in ius duarum ſyllabarum in duo ii. genitiuos finire: uocatiuos uero una ſyllaba minores eſſe. Iulius, Iulij, Iuli. Sed quid ſentiemus in nominibus illis proprijs, quorum nominatiui in ius unicam ſyllabam exeunt? qualia ſunt Appuleius, Atteius, Auruncu-leius, Caius, Cicercius, Cocceius, Fonteius, Petreius, Partumeius, Pompeius, Sauſeius, Tarpeius, Vargunteius, Veius, Vulteius? Quid, inquam hic ſtatuemus? Cuiuſmodi illis Genitiuos, Vocatiuos, & reliquos caſus dabimus? Ego etſi uix quemquam inue-

Iosephum Scaligerum.

inuenias (excipio inter aliquot alios doctos uiros eos, quibus in purgando Festi Pompei libro ratio rectam scripturam monstrauit) qui horum nominum genitiuos duobus ii non scribat, & scribendos censeat: tamen ego contra iudico. existimoq. genitiuos istos formari a Nominatiuis abiecta non tota ultima syllaba, ius, sed us tantum, remanente i cum eadem potestate consonantis, quam in Nominatiuo habuit. sic continget, ut Nominatiui, syllabarum numero non uincantur ab obliquis. quam rationem seruant etiam reliqua latina eiusdem declinationis nomina, exceptis, ut ante dictum est, Vocatiuis Nominatiuorum in ius duarum syllabarum desinentium: quibus una syllaba est detracta; Iulius, Iulij, Iuli. Atq. res postulat, ut antequam longius progrediamur, probemus exemplis poetarum, ius syllabam in supra citatis nominatiuis unam tantum esse, non duas. ne quem forte in fraudem ducat mos Graecorum scribentium ea nomina una syllaba, quam nos facimus, longiora. Πομπήιος, ταρπήιος.

Horatius igitur lib. ij. Satira v

„ *Cocceius, Capitoq. simul Fonteius ad unquem*
„ *Factus homo.*

Lucanus lib. v

„ *Aut hodie Pompeius erit miserabile nomen.*

Idem lib. viij

„ *Nec Pompeius erit.*

Reliqui quoq. casus Nominatiuorum sunt aemuli.

Horatius lib. I. epist. ad Maecenatem.

„ *It, redit, & narrat, Fonteium nomine Menam.*

Lucanus lib. vI

„ *Hunc, ut fama loci Pompeio protulit, alta.*

Propertius lib. Iv. epist. Iv

„ *Tarpeium nemus; & Tarpeiae turpe sepulcrum.*

In quo uersu etiam notandum est, deriuata syllabis primigenia non superare.

Sic etiam Lucan. lib. iij

„ *Tunc rupes Tarpeia sonat.*

Virg.

Virg. lib. viij

" *In summo Custos Tarpeiae Manlius arcis.*

Ouidius ij. Ponti

" *Protinus inde domus nobis Tarpeia petatur.*

Sed ad Genitiuos reuertamur: quos ut uno i. terminari, & syllabis esse Nominatiuis pares diceremus, ea ratio mouit, quae docet: Genitiuos Latinorum nominum in numero syllabarum conuenire cum Datiuis, Adcusatiuis, & Ablatiuis: si quidem illa certam regulam aliquam sequuntur: ne quis forte obiciat nomina illa, quae propterea etiam a nonnullis antiquis Grammaticis ad pronomina relegantur, Vnus, Totus, Solus, & reliqua ab ijsdem Grammaticis adnotata. Deinde praesto poetae sunt: qui dubitationi nullum relinquunt locum.

Lucanus lib. ij

" *Hunc neq. Pompei Brutum, neq. Caesaris hostem.*

Idem lib. vi

" *Quem prior adfatur Pompei ignaua propago.*

Idem lib. vij

" *Impia concurrunt Pompei & Caesaris arma.*

Idem lib. viij

" *Placet hoc Fortuna sepulcrum.*

" *Dicere Pompei: quo condi maluit illum.*

Ibidem.

" *Haud procul est ima Pompei nomen arena.*

Ibidem.

" *Nos Cato da ueniam, Pompei duxit in arma.*

Horatius lib. ij. Satira v

" *Hinc nos Coccei recipit plenissima uilla.*

Atq. haec ad Genitiuos. Vocatiuos quoq. eosdem esse cum Genitiuis docebunt, quae nunc in mentem ueniunt sequentia exempla.

Ouidius lib. v. elegia I. Ponti.

" *Accipe Pompei deductum carmen ab illo.*

Lucilius lib. xxx. apud Nonium in Incilo.

" *Nunc Cai quoniam incilans nos laedi' uicissim.*

Martialis lib. ij

" *Quod debes Cai, redde inquit Phoebus: & illinc*

Dicet aliquis. Recte hactens res habet. sed restat scrupulus. quem excuti uelim. Si uno i scribantur Genitiui isti, atq. Vocatiui, quid fiet praecedente uocali: quam uocalis sequens solet breuem facere? Respondetur. Conseruat illa in his sua tempora. Graeci probant: qui illam per η. scribunt. Praeterea ipsum i, licet relinquatur solum, tamen eamdem seruat uim, quam habuit in Nominatiuis, reliquisq. casibus. Neq. solum contingit hoc in horum nominum casibus: sed alijs quoq. aliquot antecedentis id usu uenit: praesertim in uerbo Iacio: in quo cōposito sola remanens praepositionis ultimam uocalem, cum poetis est libitum, longam praestat: ut in illo Virg. uersu.

" *Reice ne maculis etcet.*

Quasi uero in quibusdam Genitiuis & Datiuis quinctae declinationis huic uocali eamdem potestatem non tribuamus: cum Aciei, Rabiei dicimus. Quid? apud Lucretium nonne in ei ab Is Pronomine, in Rei a Res, & Fidei penultimam semper longam ope solius i, uocalis legimus? singularum aliquot ab ipso poeta adponam exempla: cum plura citari possent.

" *Nunc iacere indu manus uia, qua munita fidei.*

Idem lib. ij

" *Tempus inane potest uacuum subsistere rei.*

Eodem libro.

" *Corpora iactari unius genitalia rei.*

Eodem libro.

" *Nec facile indu uenas cibus omnis diditur ei.*

Idem lib. v

" *Nam primum quidquid fulgoris deperit ei.*

Sic uersus ille apud Ciceronem lib. de Senectute.

" *Ille uir haud magna cum re sed plenu' fidei.*

Quid? Latinos poetas, cum ae diphthongum, in fine casuum primae declinationis uolunt resoluere in duas syllabas, quae alia caussa coegit ad ai

diphthon-

diphthongum Graecam confugere, cum Aulai dicunt, Ferai, Naturai, Viai? ut alia multa Lucretio familiaria fileam. Nimirum eam uocali huic esse uim norant, quae adquirere temporis adcessionem uocalibus & syllabis breuibus praecedentibus posset. ut in Virgilij duobus uersibus adcidit: qui nunc opportune in mentem uenerunt.

" *Pectoribus inhians spirantia consulit exsta.*
" *Populat ingentem farris aceruum.*

sic enim legendum est, non Populatq. ingentem farris aceruum.

Idē ter fecit Cicero in paucis suis uersibus: qui sunt in lib. de Diuinatione.

" *Subigit ipsa feris transfigens ungibus anguem.*
" *Abicit efflantem & laceratum adfligit in undas.*
" *Omnis cura uiris, uter esset Induperator.*

Ausonius in Alcione.

" *Falsum conuicit ilico haruspicium.*

Tandem ergo in his cōpositis a uerbo Iacio," *Abicio, Adicio, Deicio, Eicio, Obicio, Proicio, Reicio, Subicio,* Obices, & Subices admirari desinant graues uiri orthographiae nostrae, nostrae dico? immo antiquorum consilium: qui praeter eas, quas diximus, rationes, nitimur auctoritate ueterum magni nominis Grammaticorum Velij, Festi (Festum cum cito, Verrium quoq. cito) Seruij, Bedae, atq. aliorum. nitimur testimonio ueterum calamo scriptorum librorum. Marmora quoq. antiqua nos iuuant: quibus testimonium ad nos nullum uenit incorruptius. Glossarium uetus numquam aliter habet in omnibus illis uerbis. Ac ne forte ambitiose & falso Grammaticorum testimonijs & nominibus abuti uidear, duo Seruij loca optime ad firmandam meam sententiam facientia libitum est adponere. Reliquorum testimonia cum Seruio idem sentientium quilibet sibi ex eorum libris petat. Seruius igitur ad eum ex IV Aeneidos libro uersum.

" *His germana malis oneras, atq. obicis hosti,*

Sic scribit.

„ *Ob naturaliter breuis est, sicut Re, & Ab. sed plerumq. producuntur hac ratione in Obicio, Reicio, Adicio: quia habent uocalem sequentem: quae per declinationem potest in consonantis formam transire. ut Obieci, Reieci, Adieci. Ergo etiam antequam transeat, interdum fungitur officio consonantis, & praecedentem longam facit.*

Idem in lib. x. ad eum uersum.

„ *Atq. oculos Rutulorum reicit aruis.*

Sic ait.

„ *Reicit. Re naturaliter breuis est: & pro longa posuit: sic alibi.*

„ *Reice, ne maculis infuscent uellera fuscis.*

„ *Quod licet possit excusari: quia cũ facit Reieci, inter duas uocales, uocales i posita producit superiorẽ: ut dicamus, eã longam esse spe: quae per declinationẽ longa futura est: tamen, quia in hac re argumentum magis est, quam ratio, dicamus Ectasim factam: quae poetis plerumq. conceditur.*

Sed ad rem. Igitur stantibus adiumentis, quae adtulimus, genitiui hi, de quibus agimus, uno i, tantum scribendi sunt. Vocatiui etiam, ut probatum est, pares sunt genitiuis. Quamquam hos Vocatiuos interdum per συνιζήσιν contrahi in pauciores syllabas non me latet. Sic facit Horatius lib. ij. Carm. oda vij

„ *Pompi meorum prime sodalium.*

pro Pompei.

Idem lib. I. epist. vij

„ *Durus ait Vulti nimis, adtentusq. uideris.*

pro Vultei. Quoniam autem in hunc ordinem redegimus praenomen „ *Caius*, libet admonere, illud modo duarum, modo trium syllabarum legi. Martialis.

„ *Egit Athestinus Caussas, & Caius uterq.*

Ausonius.

„ *Quis tu? Caius ait. uis ne? & reliqua.*

Sic paullo post ibidem.

„ *Tum*

" *Tum Caius: melius nil Eunome.*

Martialis lib. I. trium syllabarum facit.

" *Non mauis, quam ter Caius esse tuus.*

Lucillius lib. XI. apud Nonium in „ *Damnare.*

" *Cassiu' Caius hic operariu', quem Cephalenem.*

Idem ferme adcidit, cum in alijs similibus, tũ in uoce „ *Boius*. Silius lib. IV

" *Boiorum nuper populos turbauerat armis.*

Idem paullo post.

" *Vnde Boiorum sociata examina densant.*

Quod additurus sum, non est a superiore argumento alienum. Maius (mensis nomen) Mai genitiuum facit priore syllaba remanente longa. Sic Nais Naidis, Lais Laidis: Thais Thaidis. in quibus omnibus τὸ ἰῶτα producit praecedentem uocalem.

Propertius lib. ij. elegia XXI

" *Supposita excipiens Nai Caduca manu.*

Quo in uersu ante male legebatur. Naica dona manu.

Idem obseruandum est in „ *Laius* trium syllabarum apud Statium & reliquos.

Nobiles etiã Grammatici, libriq. calamo scripti ueteres, in primis Virgilij, & Glossarium uetus scribunt semper Di, & Dis, Grai & Grais, non Dij & Dijs: nec Graij, & Graijs.

Aquis Statiellorum est uetus marmor cum hac inscriptione.

DIS
MANIBVS
SEPTICIAE
SVRAE
L. PETRONIVS
MELIOR

Etiam obseruatū est in uetere Vaticanae bibliothecae libro scripto Tibulli uerbum hoc ,, *Idem* Nominatiuo plurali, non ,, *ijdem* scriptum esse. Verum quid Grammaticos, & manum librariorum laudo? Audiamus Ciceronem in Oratore sic loquentem.

" *Nobis, ne si cupiamus quidem, distrahere uoces cōceditur.*
" *Indicant orationes illae ipsae horridulae Catonis: in-*
" *dicant omnes poetae praeter eos: qui ut uersum facerent,*
" *saepe hiabant. ut Naeuius. Vos, qui adcolitis Istrum*
" *fluuium, atq. Algidum.*

& ibidem.

" *Quam numquam nobis Grai, atq. barbari.*

Ibidem aliquot post uersus.

" *Idem campus habet, inquit Ennius. &*
" *In templis isdem probauit. At eisdem erat uerius. nec*
" *tamen eisdem erat opimius. male sonabat ijsdem.*

Agellius de hac re agens lib. IV. cap. XVIJ. cōfundit sonum uocalium cum quantitate syllabarum. Cicero in Oratore ad Brutum, & alibi dilucidius & distinctius est locutus. Egregie etiam a doctissimis uiris Iulio Caesare Scaligero, Lipsio, & (si memoria non me fallit) Casteluetro de eadem hac ratione est disputatum. Qui omnes proprijs rerum uocabulis erudite & perspicue docent, quantum a quantitate syllabarum uocalium sonus & pronnnciatio differat. Sed ad superius adlata uerba.

Quod Agellius tradit, in Obijcio, Conijcio, Inijcio, Obijces, Subijces, & Proijcio Praepositiones produci, quod secunda * litera in his uerbis per duo ii, nō per unum scribenda est, satis supra uidemur sententiam istam discussisse: tamen addamus aliorum quoq. poetarum exempla: quorum alij producunt, alij conripiunt praecedentem Praepositionem.

* al. *syllaba.*

Silius Italicus lib. IV. conripit hoc uersu.

" *Et fidos certant obices adolescere siluae.*

Virgilius producit, ut supra adlatis exemplis patuit, & demonstratur uersibus hic sequentibus.

" *Parua sub ingenti matris se subijcit umbra* &
" *Obijcibus ruptis*
&
" *Obijce saxi.*
Sic facit Ennius in tragoedia, quae Achilles inscribitur uersu hoc adlato ab Agellio.
" *Ergo deum sublimes subijces humidas.*
quo in uersu innouandum nihil esse censeo. Si tamen & de syllabae quantitate intelligit ipse Agellius, & uersum ab Ennio auctore fideliter descripsit, Adhibeo autem hanc exceptionem: quoniam ijdem uersus (sunt enim duo) aliter ab Agellio, aliter a Nonio, aliter a Festo citantur. Agellius sic.
" *Ennius in Tragoedia, quae Achilles inscribitur, Subijces*
" *pro aere alto ponit: qui caelo subiectus est, in his uersibus.*
" *Ergo deum sublimes subijces horridus.*
" *Vnde oritur imber sonitu saeuo, & strepitu.*
Nonius uero in significatione uocabuli facit cũ Agellio: in ratione uersus dissentit. sic enim habent eius uerba.
" *Subijces noue positum non a Subijciendo.*
(seruo ego hic scripturam cum duobus ii, quae est in meo libro. cũ tamẽ credã, auctorẽ unico i, scripsisse)
" *Sed altitudine.*
" *Per ego Deum sublimes, subijces, humidas:*
" *Vnde oritur imber.*
Festus ab utroq. Agellio & Nonio & in explanatione uocis „ *Subijces*, & in lectione uersus abit longe diuersus: apud quem nunc sic legitur totus locus.
" *Subijces Ennius in Achille pro subiecto posuit, cum dicit.*
" *Nubes per ego Deum subices humidas.*
" *Vnde oritur imber sonitu aerio spiritu.*
In marginis area est
" *Inde oritur sonitu saeuo spiritu.*
Quoniã autẽ Ennij uersus a tribus auctoribus Festo, Agellio, & Nonio nõ concordi sententia legitur, Gabriel Faernus eruditus uir iudicauit, uocẽ „ *Nubes*, de suo additam a Festo. Ego tamen, Nonij explana-

tionem

tionem nō reiciens, libenter aut uocem illam a Faerno damnatā retineam: & uersum probem, qui est hic.

,, *Nubes per ego Deûm subices humidas.*

aut loco Deûm substituā uocem,, *Sublimes*, hoc modo.

,, *Nubes per ego sublimes subices, humidas.*

& sic lectus sublime q̃ddā & tragicū uersus spirabit. Porro, humidus ne, an humidas in eo uersu legatur, parui refert. non enim minus recte Nubes humidas, quam Imbrem humidum dicimus.

Quod ad alterum uersum adtinet, admonet me Festi lectio, fore uersum integrum, & elegantem apud Agellium, si pro ,, *strepitu*, quae uox est in Agellio, reponatur ,, *spiritu*. Scilicet, ne Trochaeus insit in Trimetro Iambico. Sicq. scribatur.

,, *Nubes per ego sublimes, subices, humidas:*
,, *Vnde oritur imber sonitu saeuo, & spiritu.*

vel sic.

,, *Per ego Deûm sublimes, subices: humidus*
,, *Vnde oritur imber saeuo sonitu, & spiritu.*

Actij poetae uersus huic persimilis adfertur a Cicerone lib. ij. de Natura Deorum: quem non est superuacuum hic adiungere.

,, *Fremebunda ex alto ingenti sonitu & friritu.*

Vbi Nizolius legi scribit aliter, Fremitu. Sed hoc pacto uersus Iambicus hostem suū Trochaeū haberet. Priscianus lib. de Comicis metris legit ,, *Spiritu*. recte. sicq. rationi carminis est consultum. Germani in sua editione seruant ,,. *Friritu*.

Porro in uersu, quē Agellius ex Epidico Plauti citat, pro ,, *pallium* legendum est *palliolum*. ut uersus, recte incedat. aliter claudicaret.

FRANC. CICERCIVS, RHETORVM antiquor. apud Mediolanienseis publicus interpres.

HEVS, Lector, inquit, quisquis es, modo in litteras bene animatus sis. Hoc ipsum de rebus non uulgaribus σύνταγμα, caue, putes ἀδέσποτον

esse;

esse; sed scias, ab Io. Mario Matio Brixiano, V. C. aliquot amicorum rogatu nuper fuisse conscriptum: a Matio, inquam, illo polyhistore, qui olim Alexandriae Statiellae. nunc Mediolani in Cõlegio Diui Simonis, quondam Taegior. liberalitate instituto, summa cum bonorum omnium laude literas Graecas & latinas docet. Cuius quidem hominis animus cum ad seruiendum commodis utilitatiq. studiosorum semper fuerit intentus; tam multa edidit, doctissimi cuiusq. hominis lectione dignissima, quã multa unum de nobis habere puto neminem. Hoc te scire uolebam, amice Lector. Vale. Mediolani, anno ꝏ D X C V. Kal. Maij.

De vi duarum consonantium M, & D, Proptera. Cap. XXII

DVas liquidas, duas Mutas, & Mutam sequente Liquida non semper producere antecedentem syllabam breuem probant ea, quae adferemus poetarum sequentia exempla.

Ouid. lib. xiij. Metamorph.

„ *Bistonijs habitata uiris Polymnestoris illic.*

Propertius.

„ *Et scelus accepto Thracis Polymnestoris auro.*

Silius lib. viij

„ *Ecce inter primos Teramneo a sanguine Clausus.*

Musaeus.

„ Δὴ τότε λεανδρὸς πὲρ ἐσθήμενος ἐλπίδι νύμφης.

Ennius apud Varronem lib. viij. de lingua Latina.

„ *Subulo finitimas propter adstabat aquas.*

Quo in uersu nõnulli docti uiri legunt „ *Proptera stabat aquas.* ut sit antiquo more dictum „ *Proptera.* pro nostra usitata praepositione Propter. Cuius excellentis uiri acumen hic ualde probarem, nisi reluctetur natura ultimae syllabae Praepositionis & Ad-

Lipsium innuit.

dicitur m. ut in Ki- pamo apud Catull. in Galliabo.

uerbij „*Propterea*: quae longa est, ut in „*Supera apud Ciceronem ex Arato*.
Tornu' draco serpit subter, superaq. retorquens.
„ Sic Lucretius lib. 1
Id, quod iam supera tibi paullo ostendimus ante.
„ Verum redeamus ad propositam, & ad inchoatam caussam. Horat.
Forma captiuae dominum Tecmessae.
„ Petronius Arbiter.
Et bacis redimita Daphne, tremulaeq. Cupressi.
„ Possem ex Graecis poetis nō minus paradoxa exēpla adferre. Sed petant ex illis obseruando, qui uolent. Quae sequuntur additamenta non admodum ab hoc argumento diuersa sunt. M. interdum abicitur sequente consonante, remanente tamen uocale praecedente. Lucret. lib. ij
Lanigerae pecudes, & equorum duellica proles.
„ Quamquā ad uitandam nouitatē hanc doctiss. Scaliger in uoce hac quattuor syllabarū „*Duellica*, duas primas syllabas in vnam contrahit, tamen Lucilij uersus, quem proferam ex lib. vij. Satirarum, ut est apud Nonium in „*Fulgit, nullo modo hanc potest Ellipsim effugere*.
Primum fulgit ubi caldum, & fornaceum ferrum.
Sic illud Ennij apud Apuleiū in oratione pro se ipso.
Quid? Scarum praeterij cerebrum Iouis paene supremi.
„ quem tamē uersum uideo a nōnullis ἀκεφαλὸν scribi. D. quoq. & T. idem patiuntur. Lucilius apud Ciceronem lib. ij. de Finibus.
Laelius praeclare, & recte Sophos, illudq. uere.
„ Idem apud Agellium lib. xviij. cap. viij
Quo me habeam pacto, tametsi non quaeris, docebo.
„ Nisi forte hic quis malit in „*Tam etsi M, cum sua praecedente uocali abicere* quod minus probo.

Finis libri secundi.

OPINIONVM

IOANNIS MARII MATTII

LIB. III

Cap. I

SVNT, qui Supinis, Sumptum, Emptum, Comptum, & alijs eiusdem notae uocibus cum ab eis deriuatis adimendam esse p, literam putent. Ego contra censeo, motus caussis, quae sequuntur.

Valerius Probus in libro de Notis Emptum, & Emptorē cum P, scribit. In tabula aerea antiquissima, quae Reipub. temporibus incisa fuit, quaeq edita est a Fuluio Vrsino, Emptum, Redemptum, Emptor, Exemptum, Emptio, eodem modo, quo dico ego legitur. Marmora quoq. quaedam uetusta sic habent. Nec aliter est in Glossario uetere. Quod si Grammatica est scientia loquendi ex usu (neq. uero aliter scribimus, ac loquimur) Vsus autem est consensus bonorū felicis linguae, profecto loquendum & scribendum est, ut boni, felicis linguae temporibus fecerunt. Quomodo autem locuti sint illi & scripserint,

Iosephus Cartol.

O Gram-

Grammatici antiqui, libri auctorum ueteres, tabulaeq. aereae & marmoreae fideliter testantur.

IOCVS, VENVS, CVPIDO.

Omnipotens aecoris. Horatij loca duo inlustrata.

Cap. II

AD uersus, quos adponemus secundae Odes Horatij libri primi hos,

,, *Siue tu mauis Erycina ridens,*

,, *Quam Iocus circum uolat, & Cupido.*

belle facit pictura relata ab auctore Epigrammatum Orbis. quam rei ante oculos ponendae gratia hic expressam pingi curauimus.

MORAVIAE PROVINCIAE GERMANIAE MAG

Epigramma repertum a Conrado Celte in Gemma signatoria, aureae cruci insertum in monasterio Ritisch iuxta Olmuntz. mense Iulio Anno Domini M. D. IIII



Oda v. lib. eiusdem.

„ *Suspendisse potenti*
„ *Vestimenta maris deo.*

Cum his uerbis Horatij facit nummus argenteus M. Agrippae Cos. III. in cuius altera parte est Neptunus cum his uerbis.

HIC. OMNIPOTENS. AECORIS

PHRAARTES. INRETORTVS OCVLVS.
Diem frangere. Diffindere meridie.
Horatij locus inlustratus.

Cap. III

QVoniam interpretes non plane explicant eam historiae partem, quam tangit Horatius eo uersu lib. ij. Oda ij
,, *Redditum Cyri solio Phraarten.*
uisum est breuiter admonere, unde integra res tota peti possit. De hoc igitur Phraarte, quem alij auctores Graeci perinde ac Latini uarie scribunt: sed sua cuiq. est scriptura relinquenda: quomodo ille patrem interemerit, & se regem constituerit: utq. a populo ob impium ac tetrum facinus regno sit deiectus: iterumq. Scytharum auxilio regnum receperit: & cum Augusto pacem aequis condicionibus fecerit: timensq. a filio talionem, ne scilicet ab eo pelleretur, ut ipse parentem eiecerat, filium ad Augustum usq. in Hispaniam simulatione legationis aut officij relegauerit ab se, lege Plutarchum in Crasso ad finem: & in Antonio: Iustinum lib. xlij. Strabonem lib. vj. & Dionem lib. xlviiij

Ibidem apud eumdem Horat.
,, *Quisquis ingentes oculo inretorto*
,, *Spectat aceruos.*
Lege lxxv. caput nostrarum Adnotationum pridem editarum. Nam Lambinus magno conatu ibi agit nihil.

In oden vij. eiusdem libri.
,, *Cum quo morantem saepe diem mero*
,, *Fregi*
Frangere diem mero est de meridie, aut etiam ante meridiem non exspectata legitima cenae hora epulari. Varro lib. I. cap. ij. de Re rustica Diffindere dicit his uerbis.

Forvasse hoc est Meridiare [illegible] que [illegible] hae [illegible] et [illegible] rabit in silva.

,, Ego

" Ego hic, vbi nox & dies modice redit & abit, tamen aesti-
" uo die, si non diffinderem meo insititio somno meridie, uiue-
" re non possem.

In oden xvi. lib. i

" O matre pulchra filia pulchrior.

Imitatur Characis poetae uersum a Suida relatum in uoce χάραξ.

QVI FVERIT QVINCTILIVS APVD Horatium. Varus cognomen. Possessiua, Patronymica a Romanis nominibus.

Cap. IV

HORATIVS Oda xxiv. lib. i. consolatur Virgilium in morte Quinctilij communis amici. Nec constat, qui fuerit hic Quinctilius, quod fuerint plures eo nomine tunc Romae Quinctilij. Quaeramus nos. Duo fuere Quinctilij insignes amici Virgilij, P. Quinctilius. Varus cognomine, uir consularis: de quo poeta intelligit Ecloga nona, his uersibus.

" Immo haec, quae Varo nec dum perfecta canebat.
" Vare tuum nomen superet modo Mantua nobis,
" Mantua, uae, miserae nimium uicina Cremonae,
" Cantantes sublime ferent ad sidera Cygni.

De hoc intelligi hic apud Horatium nullo modo potest. Etenim mores Quinctilij, de quo intelligit Horatius, longe dissimiles fuere moribus Quinctilij Vari consularis. qui fama fuit parum secunda ob rapinas & socordiam, concordantibus omnibus auctoribus: qui de administratis ab eo prouincijs scripsere.

Paterculus de hoc loquens,

" Praeterea declarauit Syria: quam pauper diuitem ingressus
" diues pauperem reliquit.

Eiusdem etiam rapinis effectum est, ut a Germanuis

totus exercitus eius trucidaretur, fato mirabili trium Quinctiliorum.

„ *Tribus (inquit idem Paterculus) Quinctilijs Varis adcidit, auo, patri, & filio: ut sibi ferro uitam adimerent.*
„ *Duci plus animi ad moriendum, quam ad pugnandum fuit.*
„ *Quippe paterni, auitiq. exempli successor se ipse transfixit.*

Praeterea Virgilius xxvij. annis ante Varianam cladem obijt, auctoribus Donato, Eusebio, & ijs, qui Fastos conscripserunt.

Alter fuit Quinctilius Vari & ipse cognomine. Id colligo ex commentarijs utriusq. Acronis & Porphirionis conruptis in uersum illum Epistulae ad Pisones de Poetica.

„ *Quinctilio si quid recitares, conrige sodes*
„ *Hoc aiebat.*
„ *Hic Quinctilius (inquiunt Acron & Porphirio) erat Varus poeta Cremonensis amicus Virgilij.*

in quorum tamē uerbis Varius male legitur pro Varus. Varius enim gentile nomen est, non cognomen. Hic est ille Quinctilius, quem hic deflet Horatius. De cuius Praenomine comperti habeo nihil. L. Varius fuit Orator, poeta Epicus, & Tragicus. scripsit etiam Eclogas. Haec discimus ex Horatio, & eius interpretibus, & Virgilio. Hunc eum fuisse credo: cui cum Plotio Tucca post obitum Virgilij mandatae sunt ab Augusto partes recognoscendi certis condicionibus Aeneidem ab auctore relictam, morte interueniente, non recognitam. Quamquam pro Vario multi male Varum scribunt. Addam corollarium.

Consueuere res insignes a gentilibus ducum nominibus, non a cognominibus adpellationem sortiri. Itaq. legimus „ *Fossas Marianas: Castra Corneliana:* & alia eodem modo. Attamen clades, quam Quinctilius Varus accipit, a cognomine Variana est adpellata. Credo, quod cognomine quam nomine esset natior. Sic Fossae Drusianae Cornelio Tacito lib. Annal. ij. Sic Lepidianae feriae Ciceroni. lib. ad Atticum vi. Idem obseruatum est in Patronymicis: Appiades a Praenomine: Scipiades

des a Cognomine: quod hic Cognomine, ille Praenomine frequentius adpellabatur. Memmiades uero apud Lucretium est a Nomine. quoniam ei cognomen, uel nullum fuit: uel parum celebre. Varum praeterea fuisse Cognomē aliquot quoq. aliarum Gētium notum est ex Ligariana Ciceronis, ex Plutarchi Catone, Dione, Orosio, & Fastis.

NEFAS. MARE AVIDVM.
Paphiae Veneris, & templi forma.
Necessitas Serua.

Cap. V

NEfas in eo Horatij uersu Odae xxIv. lib. I
„ *Quidquid conrigere est nefas.*
expono ego ὀυ θέμις. Suidas in Αλλ᾽ ὀυ θέμις. alij interpretantur ἀδύνατον. utrumq. recte. Sed prior expositio magis placet.

Oda xxviij
„ *Exitio est auidis mare nautis.*
Acron uidetur legere „ *Exitio est auidum mare nautis*; scilicet eo modo, quo auidum Orcum legimus. utraq. lectio optima, sed Acroniana figuratior.

Oda xxx
„ *O Venus regina Gnidi, Paphiq.*
Templi Paphiae Veneris situm, & formam Deae (neq. enim alibi sic exprimebatur & colibatur) lege cum aliquot alijs paradoxis historijs siue fabulis Cornelium Tacitum lib. xviij

Oda xxxv
„ *Te semper anteit saeua Necessitas.*
Lambinus adseuerat in libris uetustis legi „ *Saeua*. non „ *Serua*. At Pierius lib. xlviij. capite de Clauo, testatur, se in libris antiquissimis obseruasse scriptū esse „ *Serua*. quam scripturam ego sic probo, ut omnino retinendam censeam. Necessitatem enim antiqui Fortunae fernam finxere, & quidem πρόπολον. Ideo Horatius uim

&

& notionem graeci uocabuli προπόλου expreſſurus uerbis Latinis dicit, Seruam Fortunae Neceſsitatem anteire.

GYGES ET GIGAS PRIOREM HABENT ſyllabam communem. Horatij quaedam loca non mutanda. Lambinum falli. Moneſes. Plutarchum ab Horatio diſſentire. Parthorum Rex. Cotiſo Dacorum Rex.

Cap. VI

LAmbinus ferre non poteſt, Gyges apud Horatium legi priore breui. Itaq. non ſolum in hoc poeta, ſed ubicumq. apud alios ſic inueniatur, cenſet loca eſſe corrupta: & pro ea uoce Gyam reponendum iudicat. Verum exempla poetarum, quae adferemus, falli eum docebunt. Suntq. haec breuis ſyllabae exempla.

Ouidius.

" *Centimanumq. Gygen, ſemibouemq. uirum.*

ſic enim libri ueteres habent. ubi bis repetita copulatiua coniunctio uenuſtiorem uerſum facit.

Idem elegia prima ſecundi Amorum.

" *Centimanumq. Gygen. & ſatis oris erat.*

Seneca Hercule Oetaeo.

" *Qui uaſtus Briareus: qui tumidus Gyges.*

Automedon, ſiue Anacreon lib. ij. Epigrammatum Graecorum.

" Ου μοι μέλει γύγαο.

Gregorius Theſſalonicenſis.

" Θέλει γύγεω τὰ καὶ τὰ!

Longae uero ſyllabae exempla ſunt, quae ſequuntur.

Virgilius.

" *Succiſo poplite Gygen.*

Horatius Oda v. lib. ij

" *Luna mari, Gnidius ue Gyges.*

Idem

Idem oda vij lib. iij

" *Gygen, ille notis actus ad Oricum.*

Alphaeus lib. 1. epigrammatum Graecorum.

" Ο'υκ ολβὸν πολύχρυσον, οια Γύγης.

Propertius lib. iij

" *Lydia Gygeo facta puella lacu.*

Vt iam mirandum nō ſit, Horatium quoq. uocis eiuſdem menſuram ad commodum ſuorum carminum aptaſſe. Quaſi deſint exempla poetarum: qui in eodem uerbo eamdem uocalem modo productam, modo conreptam conlocarint.

Sedigiti Volcatij licentiam, atq. Horatij ſupra retulimus in uerbo „ *Licinius*. Itaq. ſi quis ſibi interdum parum conſtat in quantitate alicuius ſyllabae, aut ſi duo plures ue inter ſe diſcordent, mirum cuiquam non debet uideri.

Lib. iij. Oda vi. Horatius de Moneſe duce Parthorum loquens abit diuerſus a Plutarcho. qui in Antonio tradit, Antonium multum ſecretis nuncijs a Moneſe adiutum fuiſſe. Horatius autem ſcribit, Romanos clades a Moneſe accepiſſe his uerſibus.

" *Iam bis Moneſes, & Pacori manus*

" *Non auſpicatos contudit impetus.*

Oda viij. lib. iij

" *Occidit Daci Cotiſonis agmen:*

" *Medus infeſtis ſibi luctuoſis*

" *Diſſidet armis.*

De Cotiſone Dacorum rege a Cornelio Lentulo Auguſti legato in Pannonia ſuperato Paterculus, Florus, & Eutropius. Medos autem, ideſt Parthos tunc inter ſe dicit diſsidentes: quod pulſo Phraarthe a populo, ut ſupradiximus, Tyridates rex creatus fuerat. qui tamen, Phraarthe a Scythis reſtituto Romam ad Auguſtum cum filio Phraarthis indiligentius cuſtodito confugit.

PVRPVRA CANDIDA
apud Horatium. Lambini error.
Acuta belli.

Cap. VII

ODA prima lib. iij. non Veneri canitur. Itaq. inscriptio mutanda: & Q Fabio Paullo Maximo adtribuenda. Cui in consuletu conlega fuit M. Antonius Iulus M. Antonij Trium uiri filius Africanus. ad quem sequens statim Oda scribitur. In hac oda ad Q. Fabium sunt hi uersus.

" *Tempestiuius in domo*
" *Paulli purpureis ales oloribus*
" *Comissabere Maximi.*

Lambini audacia hic decipiat neminem. qui non dubitauit uocem " *purpureis* in marmoreis uetere: quoniam latuit hominem, esse etiam genus purpurae candidae. quod iam pridem ab Hermolao Barbaro traditum est. Hoc non fefellit olim Plutarchum. qui in Alexandro candidae purpurae meminit: nec C. Pedonem Albinouanum. in cuius carmine ad Maecenatem est hic uersus.

falsu

" *Brachia purpurea candidiora niue.*

Cautior fuit in eius uerbi significatione explicanda Porphirio. qui purpereis pulchis interpretatur, Qua in significatione etiam Vigilius dixit.

" *Et pro purpureo poenas dat Scylla capillo.*

Sed idem Lambinus in Mustaceo Lauream quaerens, in eum uersum Horatij oda IV. libri quarti,

" *Expediunt per acuta belli.*

uerba multa impendit, ut doceat, legendum esse, ut legitur " *per acuta belli. non acuta bella*: quasi Porphirio non multis saeculis ante admonuerit, legendum esse " *acuta belli*: non *acuta bella*. Acuta autem belli

belli ego esse existimo, non quae scribit Lambinus, sed momenta & occasiones. ut poeta respiciat ad nouaculam: quam manu gestari ab Occasione Dea eleganter fingit Posidippus lib. IV. Epigrammatum Graecorum. Et quis nescit, momenta, uel minima in bello semper (ne plerumq. dicam) inclinationes habere insignes? &, uel laetos captata & adrepta: uel tristes neglecta exitus ferre? Itaq. probe in hanc sententiam idem Posidippus.

„ Χειρὶ δὲ δεξιτέρη τὶ φέρεις ξυρὸν ; ἀνδράσι δεῖγμα.
„ Ως ἀκμῆς πάσης ὀξύτερος τελέθω.

Legantur etiam prouerbia: In acie nouaculae. & Nosce tempus.

ARBITRIA. IUSTA. FUNERA.
Exsequiae. Ciceronis locus declaratus.

Cap. VIII

INterpretes Horatij exponunt „ *Arbitria fecerit, iudicarit, & sententiam tulerit*, ad eum uersum Odae vij. lib. IV

„ *Cum semel occideris: & de te splendida*
„ *Minos*
„ *Fecerit arbitria.*

Ego non memini legere „ *Facere arbitria*, aut „ *Facere sententiam pro iudicare*: cum tamen Facere praeiudicium frequenti sit in usu. Contra, cum Facere funus, Facere Iusta, Facere Iusta funerum, Facere Iusta funera, Conficere Iusta, &, Soluere Iusta funeri latine optime dicatur: quibus modis Cic. atq. alij usi sint, uideor facere posse sine suspicione temeritatis, si hic apud Horatium suspicer fecerit arbitria nihil aliud significare, quam sepulturae mandatus sis, & splendida iusta mortuo sint persoluta: idest cum obieris. Et si enim tristem sententiam Minois sequitur mors, tamen uerbum hoc „ *Splendida non ad*

falsa interpretatio
vide Scalig. in Tibull.

iudicia, sed ad funerum magnificentiam egregie est adcommodatum. Cicero etiam alicubi sumptuosa dicit Hic autem Ciceronis uerba in oratione post reditum ad Senatum aemulatur felicissime sine dubio Horatius. Verba Ciceronis haec sunt.

" *Nondum palam factum erat concidisse Rempub., cum*
" *tibi arbitria funeris soluebantur.*

Ecce, quod Cicero ait. " *Concidisse Rempub.*, Horatius, " *Cum semel occideris*, dicit. & quod idem Cicero, " *Arbitria funeris soluebantur*, Horatius explicat.

" *Et de te splendida Minos Fecerit arbitria.*

Aliud exemplum Ciceronis est superiori simile in oratione pro domo sua.

" *Vidi praetextatos inimicos nondum morte comploratae*
" *arbitria funeri petentes.*

& in Pisonem.

" *Eodem in templo arbitria non mei solum, sed patriae fu-*
" *neris abstulisti.*

Exempla autem earum, quas dixi, figurarum non adpono: quoniam sine ullo negocio quisq. sibi petere potest ex Nizolijs. Cōfectis Iustis funebribus dixit Caesar lib. vj. de bello Gallico.

Quod addam superpondij loco erit.

In uerbis illis Ciceronis.

" *Non palam factum erat concidisse Rempub., cum tibi ar-*
" *bitria funeris soluebantur.*

Hoc in loco Ciceronis uerbum illud " *soluebantur*, uenustam habet dilogiam. Nam proprie Soluere arbitria funeris est funus facere, curare funus faciendum, soluere Iusta funeri, Iusta facere: & si quae aliae sunt formulae huiusmodi. At hic alio, sed tamen coniuncto sensu accipi debet, hoc pacto interpretando. Qui sumptus fieri, & qui honor haberi solet mortuis, ille habitus, & persolutus est tibi. persolutus, inquam (hic enim est διλογία) idest, pro mercede ruinae meae, & euersae Reipublicae, atq. oppressae prouincia tibi decreta est.

HORA-

HORATII VETVS LECTIO retenta. plures eiusdem loci inlustrati. Luxere.

Cap. IX

ODA prima Epodon Horatij sunt hi uersus.

,, *Vt adsidens inplumibus pullis auis*
,, *Serpentium adlapsus timet:*
,, *Magis relictis. non ut, adsit, auxili*
,, *Latura plus, praesentibus.*

Legunt hic aliqui ,, *Minus relictis*. sed pessima est istorum lectio. Ordo & sensus uersuum hic est. Mater auis pullis inplumibus timet quidē adsidens: magis tamen timet relictis. non quod plus auxilii adlatura sit auicula scilicet imbecilla, si adsit.

Oda tertia eiusdem libri.

,, *O dura messorum ilia:*
,, *Quid hoc ueneni saeuit in praecordijs?*

Ex interpretibus nemo satis hinc se explicat in ordine uersus postremi. Lambinus & Cruquius sensum adsecuti uerba duo ingerunt in explicando minime omnino necessaria, sic exponentes. Quid est hoc ueneni, quod saeuit in praecordijs? Ego mihi persuadeo, uerbum illud ,, *hoc* parelcon esse. abundat enim, more scilicet antiquis scriptoribus usitato, praesertim in eiusmodi Pronominibus. ut patebit exemplis.

Cicero lib. 1. Epist. ad Lentulum.

,, *Quem ipsum cum uideo, prorsus eum omni suspicione*
,, *libero.*

quibus in uerbis abundant duae uoces ,, *Ipsum*, & *Eum*. Plautus

,, *Hunc clamydatum, quem uides, ei iratus est Mars.*

Terentius Heautont.

,, *Hanc secum huc aduxit, ea, quae est ad uxorem tuam.*

Oda

Oda VI. eiusdem libri.

Quin huc inanes, si potes, uertis minas.

Cruquius legit,, *uerte*. sed male. haberet enim Iambicus uersus.

Trochaeum a Iambico uersu exclusum.

Oda XVI. eiusdem libri.

Ruinam futurae aliquando urbis Romae praesagit nolens Horatius. nec falsus fuit uates: cũ detestans ciuilia bella sic queritur.

" *Ferisq. rursus occupabitur solum.*
" *Barbarus, heu, cineres insistet uictor: & urbem*
" *Eques sonante uerberabit ungula.*

Hae calamitates contigerunt anno a Domino nostro IESV CHRISTO nato quingentesimo quadragesimo septimo, urbe a Totila capta, direpta, & tota prope funditus euersa. Auctores sunt Marcellinus Comes, & Otho Frisingensis.

Oda xvij. eiusdem libri.

Quod testatus sum alibi, idem hic quoq. repeto: suam ueterem scripturam auctoribus esse cõseruandam: etiam si meliorem possis substituere. Id ideo dico: quoniam Lambinus ad odam xvij. Epodωn, ubi libri omnes antiqui habent,, *Vnxere* in hoc uersu.

" *Vnxere matres Iliae addictum feris*
" *Alitibus atq. canibus homicidam Hectorem,*

legendum longa disputatione adserit,, *Luxere*. Sed praedicet & praecipiat alijs Lambinus ista. Mihi certe non persuadebit. Mortem Hectoris luxere & statim eo interempto, & toto eo tempore, quo eius cadauer ab Achille est retentum. Vnxere autem, postea quam inpotentem iram domuit exoratus Achilles & placatus: patriq. redemptum concessit. Itaq. subdit statim poeta.

" *Postquam relictis moenibus Rex procidit,*
" *Heu, peruicacis ad pedes Achillei.*

Consilium poetae Lambinus non est adsecutus. Studet enim Horatius probare exemplis, nullum dolorem, nullamq. iracundiam tantam umquam fuisse in quo-

quoquam, ut non aliquando animus flexus ad aequitatem redierit: finemq. fecerit dolori & furori. sententia igitur est. Etiam Achilles, quamquam ira prope inexpiabili exardesceret, aliquando tandem tamen illam conculcauit & placatus est: cadauerq. Hectoris reddidit. ut commendari sepulcro posset. Id enim significat uerbum hoc „ *Vnxere*. Tunc enim ungendi, & iusta cetera soluendi facultatem habuerunt Iliae matronae, cum Achilles ira sopita & deposita cadauer reddidit. Concluditq. Horatius, & ait. exemplo illius etiam Canidiam debere tandem odio modum finemq. ponere. Quod si aliquo in libro legeretur „ *Luxere* (quod tamen nemo adserit) eamdem tamen illi sententiam tribuerem, quam dixi, loco isti: agnoscerem q. ibi eum sensum: in quo accepit Cicero: cum interrogatus, quid agerent coniurati, respondit, Vixerunt.

QVID APVD HORATIVM significent Noua & ficta uerba. Parce. Adspergere.

Cap. X

IN epistulam de Poetica ad Pisones post tot excellentium uirorum lucubrationes fortasse temerarium sit quidquam audere amplius aliquē. Attamen quid agas? Nec omnes omnia uident, & norunt: & pridem sic uiuitur: Scripturimusq. pleriq. omnes ad insaniam. & pruritus morbi huius his unguibus est scabendus. Praeterea haec epistula est pictura praetereuntes omnes spectans: idest, uniuersis praebens amplum multarum & saepe diuersarum atq. inter se contrariarum coniecturarum & formarum argumentum. Proponamus nos quoq. quibusdā in locis eius epistulae opinionē nostram, relicturi omnino doctioribus illius iudicium.

„ Et

Et noua fictaq. nuper habebunt uerba fidem, si
Graeco fonte cadant parce detorta.

Parce detorta non habent eam uim, quae parcitatem (ut utar uerbo Senecae) & raritatem significent. sed monent, nouata uerba tunc probatum iri & placitura: si de Graeco aliquo uerbo sint non penitus, idest etymologia integra seruata, sed si aliquantulum sit deflexũ discessumq. a principis uerbi sua naturaliq. in uicinam aut cognatam significationem. ueluti dicamus, illa non esse a fonte, sed quasi per diuidicula deducta & detorta. Ecce, quem Graeci λυαῖον dicunt, si solutorem uertissent nostri, nihil a fonte Graeco esset discessum. Itaq. egregie & perite Liberum uertentes detorserunt non nihil a fonte & deflexerunt. discessusq. iste pauculus reddit uerbum, figura ipsa etiam adiuuante, gratius & uenustius. Detorquere autem significare id, quod dico, probant multa multorum exempla. sed uno contenti erimus Ciceronis de Vniuersitate.

Eumq., qui erat eiusdem detorsit a latere in dextram partem.

Graeci quoq. auctore Polluce lib. vij. cap. XI. πλύνειν, καὶ πλύνεσθαι dicũt pro λοιδορεῖν. Horatius quanta cum Venere dixit Adspergere? eo uersu VI. Satirae lib. primi?

Quauis adspergere cunctos,
Praeter eum, qui praebet aquam?

Porro uerba illa.

Noua fictaq.

Τὸ αὐτό ἐστιν. Sic, *natum inuentumq.* hoc uersu.

Sic animis natum inuentumq. poema iuuandis.

Sic Cicero non semel dixit *Nouamus & facimus*: *Formamus & fingimus*: sine ulla uarietate sensus.

DE

DE IMITATIONE. HORATIVM decipi. De Epopoeia, & Tragoedia.

Cap. XI

VNum ex tribus imitandum poetae praecipit Aristoteles.
Vel qualia erant, aut sunt.
Vel qualia dicuntur & uidentur.
Vel qualia esse oportet.
Horatius tria haec Aristotelis praecepta adstrinxit in Epistula de Poetica cum sic scribit.

οἷα ἦν, ἢ ἔστιν, οἷα φασι, καὶ δοκεῖ, οἷα εἶναι δεῖ.

„ *Aut famam sequere: aut sibi conuenientia finge.*
quibus in uerbis priora duo Aristotelis praecepta Horatius uno nomine Famae comprehendit: scilicet, Qualia erant aut sunt: & Qualia dicuntur & uidentur. Quodq. Aristoteles uocat,
„ *Qualia oportet*, Horatius uertit,
„ *Aut conuenientia finge.*
Ibidem.
„ *Si quid inexpertum scenae committis: & audes*
„ *Personam formare nouam, seruetur ad imum,*
„ *Qualis ab incoepto processerit, & sibi constet.*
Cum Aristoteles & Strabo lib. ij. doceant, argumentum fabulae sumendum esse ex historia, idest ex re, quae fuit, aut est: aut etiam ex re, quae dicatur & uideatur, & sit uulgi opinione recepta: cumq. Epici & Tragici uiam hanc uniuersi triuerint, uidetur Horatius iusta reprehensione carere non posse, quando concedit cuiq. facultatem fingendi sibi argumētum rei & personae nouae, inexpertae, quae hactenus nō fuerit, & de qua sit opinio nulla. Noui quidam interpretes existimant, Horatium de Persona tantum sentire. sed uerba poetae aperti medacij eos arguūt. nā distincte diserteq. Horatius de utroq. praecipit. De re, cum dicit.

" *Si quid inexpertum scenae committis.*
De persona cum addit.
" *Et audes personam formare nouam.*
& paullo post.
" *Rectius Iliacum carmen deducis in actus,*
" *Quam si proferres ignota, indictaq. primus.*
ut omnino negari non possit, quin Horatius de vtrisq. Re, & Persona praecipiat. Atq., quod ad Personam adtinet, concedo, Personam nouam fingi a poeta posse: sed quae non sit princeps persona fabulae. Vt in Aiace Mastigophoro Sophoclis, principes personae sunt Aiax & Vlysses. in Electra eiusdem, Orestes & Electra. Has personas non finxit poeta, sed ex historia est mutuatus. propterea mutari non possunt. Reliquas personas fingere ex libidine poeta potest. ut Mineruae & Paedagogi. Sed laxata ab Horatio nouis poetis licentia de Persona & Re ignota, indicta, noua, & a nouo poeta excogitata, cuius nulla historia, nulla fama, & nulla opinio exstat, traxit in fraudem Arbeccae auctorem aetate nostra Fracastoriumq., & nonnullos alios. qui in suis poematis cōmenti sunt fabulas sine ullius historiae, aut famae uulgaris, aut opinionis fundamento. Etsi autem Horatius hic de Tragoedia tantum tractat, quod adparet satis, cum Scenae & Actus meminit, tamen idem praeceptum etiam ad Epopoeiam pertinet.

TROI-

PROICIO. SERMO PEDESTRIS.

Perpensus locus in epistula Horatij de Poetica.

Cap. XII

ET *Tragicus plerumq. dolet sermone pe-*
„ *destri*
„ *Telephus & Peleus.*
Non incommode ordinari haec pos- contrariũ dicere Ho-
sent uerba: si Theseus & Peleus ante- ratius.
cedant uerbum „ *dolet*: non autem
cum sequente uerbo „ *proicit iungatur*, hoc modo.
Et tragicus Telephus & Peleus plerumq. dolet ser-
mone pedestri. totumq. locum sic interpungas.

„ *Interdum tamen & uocem comoedia tollit:*
„ *Iratusq. Chremes tumido dilitigat ore.*
„ *Et tragicus plerumq. dolet sermone pedestri*
„ *Telephus & Peleus: cum pauper & exsul uterq.*
„ *Proicit ampullas, & sesquipedalia uerba,*
„ *Si curat cor spectantis tetigisse querella.*

Nam quemadmodum de Comoedia loquens Hora-
tius, posteaquam de Comoedia mentionem fecit,
statim comicarum personarum nomina subiungit sic
dicens,

„ *Interdum tamen & uocem Comoedia tollit:*
„ *Iratusq. Chremes tumido dilitigat ore.*

Sic de Tragoedia agens post Tragoediae mentionem
debuit Tragicarum personarum testimonium adfer-
re. quod continget, si uerba ordinentur, ut diximus.
sed hoc propono, non statuo.

Quod autem interpretes ueteres, & noui exponunt
„ *Proicit, abicit & deponit*, eo modo, quo Virgilius
dixit,

„ *Proice tela manu sanguis meus,*

Omnino recte sentiunt. non tamen negandum fuit,
quod faciunt, Proicere interdum esse proferre, &

promere. alioqui peccasset Virgilius, cum lib. V dixit.

„ *In medium geminos immani pondere Caestus*
„ *Proicit.*

quod Donatus quoq; sentit, qui interpretatur

„ *Protulit.*

Pedestris autem sermo cum alibi prorsam orationem etiam apud Horatium significet, tamen hic pro humili, demisso, & abiecto, atq. supplici est accipiendus.

CYCLICVS. AN STASIMVS

Paruae Iliadis auctor fuerit. Eusebij locus adnotatus. Lescolesinus.

Cap. XIII.

„ NEc sic incipies, ut scriptor Cyclicus olim.
„ *Fortunam Priami cantabo, & nobile*
„ *bellum.*

De Cyclo poemate, & Cyclico poeta superuacaneum est quidquam addere ad ea, quae supra nos diximus, & quae obseruauit in Catullianis commentarijs Iosephus Scaliger uir is, in quo singularis eruditio certat cum nobilissimi generis splendore. Vnum ibi in disquisitionem adduci fortasse potest. Si Stasimum Paruae Iliadis auctorem facimus, quod ille sentit, Iliadis autem Paruae primus uersus hic fuit.

„ ἴλιον ἀείδω, καὶ δαρδανίην ἐρατεινήν,

quid excogitabimus, ut persuaderi nobis aequo animo patiamur, poetam illum, quem Horatius Cyclicum adpellat a uitio immensi & numquam finiti & eodem semper recurrentis poematis (est enim ἐν τῷ κύκλῳ ut initium nullum, sic finis nullus) Stasimum fuisse? cum a Graeco, quem citauimus, primo Paruae Iliadis uersu longe diuersissimus sit hic Cyclici poetae uersus ab Horatio sic latine redditus.

Ταύτην αὐτὴν ὑπόθεσιν ἔχοντα, ταῦτα κυκλικὰ ἔλεγον. *Scholiastes Aristophanis.*

„ For-

" *Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.*

Quid eſt etiam, quod Euſebius lib. IV. Olympiadis xxx. Leſcoſelinum quemdam eadem aetate cum Alcmaeone, auctorem adnotat Paruae Iliadis? An Leſcoſelinum (ſic enim diſerte in meo manu in Pergamenis ſcripto libro ſcribitur) Staſimum adpellatum eſſe cognomine dicemus a nugis? λέσχαι enim id ſignificant.

LOCVS HORATII IN EADEM epiſtula non recte ab interpretibus declaratus. Fabulae conſtitutio. Indignatio.

Cap. XIV.

" *Ficta uoluptatis cauſſa ſint proxima ueris.*
" *Nec quodcumq. uolet, poſcet ſibi fabula credi.*
" *Neu pranſae Lamiae uiuum puerum extrahat aluo.*

Credunt interpretes poetae, tradi ab Horatio hic praeceptum,

" *Nõ eſſe* (uerba ſunt interpretum) *in fabulis fingẽdum,*
" *ex Lamiae aluo uiuum puerum extrahi, quem paullo ante*
" *ſua ingluuie deuorauerit.*

ſed falluntur. Immo, niſi huiuſmodi miracula fingeret poeta, poeſis fundamentum maximum conuelleretur. Quoniam fabula conſtituitur ab optimis poetis ex argumento earum etiam rerum, quae fieri non poſſunt, dummodo fama & uulgi opinione ſint receptae.

" προαιρεῖσθ δεῖ (inquit Ariſtoteles) ἀδύνατα, καὶ εἰκότα
" μᾶλλον, ἢ δυνατα, καὶ ἀπίθανα.

quo in loco poſuit Ariſtoteles εἰκότα pro πιθανά, ut non multo poſt ab eodem auctore docemur, ſic repetente.

" πρὸς τέ γαρ τὴν ποίησιν αἱρετώτερον πίθανον ἀδύνατον, ἢ ἀπί-
" θανον, ϗ δύνατον.

Docet ergo Horatius, poetae non esse enixius laborandum, postulandum ue, ut fabulam spectatores uerum esse credant. quod obtinere conati nonnulli mali poetae oculis spectatorum interdum facinora & flagitia subiciebant malo exemplo, & euentu etiã infelici. abhorret enim animus, atq. oculi celeres & fidi ad animum nuncii a spectando atrocia, & facinorosa. Itaq. hanc rem omnino nõ tentandam paullo supra probat his uersibus.

" *Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.*
" *Segnius irritant animos demissa per aures,*
" *Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus: & quae*
" *Ipse sibi tradit spectator. Non tamen intus*
" *Digna geri promes in scenam. multaq. tolles*
" *Ex oculis: quae mox narret facundia praesens.*
" *Nec pueros coram populo Medea trucidet.*
" *Aut humana coquat exsta nefarius Atreus.*
" *Aut in auem Progne uertatur, Cadmus in anguem.*
" *Quodcumq. ostendis mihi sic, incredulus odi.*

Ibidem.

" *Sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille.*
" *Quem bis terq. bonum cum risu miror: & idem*
" *Indignor. quandoq. bonus dormitat Homerus:*
" *Verum opere in longo fas est obrepere somnum.*

Quidquid dicãt post Petrum Victorium Iason, Lambinus, & alij, persto ego in sententia: quam in libro mearum Adnotationum pridem declaraui cum adprobatione excellentium uirorum: qui librum illum meum legerunt. Omnino Indignor uerbum Horatij refertur ad felicem casum Choerili, indigni tamen felicitate illa. quasi dicat poeta, Admiror, & rideo felicem illum, ut in tesseris iactum. aequo tamen animo ferre non possum. excandesco, doleo, & indignor, sortem eam, & fortunam contigisse ea felicitate indigno. Quis autem nescit, Indignationem esse aegritudinem nascentẽ in animis hominum: quando

non

non merenti & indigno boni aliquid contingit? iſta:
De Riſu porro atq. Admiratione ſi qui cupiunt legere ſcitu ad hanc cauſſam opportuna, adeant Vincentium Madium ciuem meum, Fracaſtorium, & aliquot alios: qui aetate noſtra docte & ſapienter de vtriſq. ſcripſerunt.

HORATIVM NON RECTE diſſentire a Cicerone. Pythia Canere. Plinij locus emendatus.

Cap. XV

IN eadem epiſtula Horatius ſic ſcribit.

,, *Mediocribus eſſe poetis*
,, *Non homines, non Di, non conceſſere columnae.*

At longe aliter ſentit Cicero. cuius iudiciũ multis partibus iuſtius Deorum, hominum, ac columnarum interdicto antepono. Ciceronis uerba haec ſunt in Oratore ad Brutum.

,, *An in poetis niſi Homero ſoli locus eſt, ut de Graecis loquar? aut Archilocho? aut Sophocli? aut Pindaro? & non horum ſecundis? aut etiam infra ſecundos?*

Ibidem.

,, *Inuitum qui ſeruat, idem facit Occidenti.*

Seneca Thebaid. ex hoc Horatij uerſu belle ludendi occaſionem nactus ſic argutantẽ inducit Oedipum.

,, *Nolentem, in aequo eſt, & qui properantem impedit.*
,, *Occidere eſt uetare cupientem mori.*
,, *Nec tamen in aequo eſt. alterum grauius reor.*
,, *Malo imperari, quam eripi mortem mihi.*

Ibidem.

Caecutiunt interpretes in expoſitione hemiſtichij huius.

,, *Qui Pythia cantat.*

ego

no intelligit locu

ego expono, qui in Pythijs cantat. Sic Plin. lib. xxxv cap. xvi.

Alcimachus Dioxippum, qui Pancratio Olympia citra pulueris iactum, quod uocant aconiti: coniti Nemaea.

Vbi tamen libri uulgati habent „ *Olympiae*. male. nam & ratio sic & usus postulat: & statim sequitur *Coniti Nemaea*.

Apuleius quoq. sic locutus est in libro de Dogmate Platonis, sic scribens.

Tantosq. progressus exercitatio contulit ei, ut Pythia, Isthmia de lucta certauerit.

Huiusmodi uero formulae apud Lucianum non semel leguntur. Horatius quoq. epistula prima, libri primi.

Quis circum pagos, & circum compita pugnax
Magna coronari contemnat Olympia? cui spes,
Cui sit condicio dulcis sine puluere palmae?

Legantur quoq.: quae in hos uersus paullo post sum dicturus.

IN EAMDEM EPIST. SENES

δυσελπίδες. λεκιτοπώλης.

Cap. XVI

SPE longus, auidusq. futuri. exponunt, alij

„ *Spem longiorem habet uiuendi.*

alij,

„ *Sperat, se adhuc uicturum.*

alij.

Sibi spem longi temporis proponit.

concors est omnium istorum interpretatio, quam ne probem faciunt uerba haec in eodem uersu, „ *auidusq. futuri*. Quae uerba non spem, sed cupiditatem longioris uitae indicant. Igitur. expono, „ *spe longus* δύσελπις. Longus enim hic est in eo sensu, in quo accipitur a Terentio Andria.

" *Sed longum est uos exspectare, dum exeant.*
& Cicero lib. vij. Epist. ad Marium.
" *Haec tecum coram malueram. sed quia longius fiebat,*
" *uolui per literas eadem.*
& Caesar lib. vj. belli Gallici.
" *Longum esse perterritis Romanis Germanorum auxilia*
" *exspectare.*
Senectutis autem hoc quoq. uitium est, ut lenta sit ad sperandum, longe enim ab ea abest spes. *Aluntur senes* (inquit Aristoteles lib. ij. Rhetor.) *memoria magis, quam spe.* φιλόζοος est senex. Itaq. Horatius recte dicit, „ *auidusq. futuri*. sed aliud est longiorem uitam optare, aliud sperare.

IN EADEM EPIST. MALE EXPOsitum uersum poetae. λεκιθοπώλης. *Niti. Centum. As.*

Offenduntur enim, quibus est equus, & pater, & res.
In huius uersus expositione Grifolus & Iason Nores praeter ridicula cetera, turpissime etiam cōfundunt Ordines, & Genus, cum explanant his uerbis.
" *Equites, & Patricij, & Res. idest, qui sunt diuites, nec*
" *eos modo, qui censum habent equestrem, uel patricium,*
" *sed omnes locupletes intelligi: quorum solet esse magna*
" *inter ciues potentia.*
Misere (inquam) labuntur. Nam si de Gentibus uoluerunt intelligere, dicendum fuit „ *Patricij & Plebei*. Si de Ordinibus, Senatores, Equites, & Plebs. Sed de hac doctrina consulendi sunt libri doctissimi, & mei, dum uixit, amantissimi Caroli Sigonij.
Ibidem.
Nec si quid fracti* Ciceris probat, aut nucis emptor. *al. fricti.
idest, λεκιθοπώλης. quod est, leguminum uenditor: de uilibus personis. quarum si est uenditor uilis, ergo

& emptor. ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα. legatur Ariſtophanis Scholiaſtes in Pluto.

Ibidem.

,, *Nitiq. cothurno.*

Niti hic eſt Incedere. Pacuuius Periboea apud Nonium.

,, *Ardua per loca agreſti & trepidante gradu nititur.*

Virgilius.

,, *Preſſit humi nitens.*

Varro Panſo parato.

,, *Fertur biſulcis unguibus nitens humi.*

Ibidem.

,, *Grais ingenium, Grais dedit ore rotundo*

,, *Muſa loqui, praeter laudem, nullius auaris.*

Ouidius in hanc ſententiam.

,, *Petitur ſacris niſi tantum fama poetis.*

Ceteri mortales, quae arant, nauigant, aedificant pretium ſpectant.

Solos poetas inanes beant Lauri, atq. ederae.

FORTISSIMA TYNDARIDARVM.

Ambubaiae. Io Bacchae. Labeone inſanior. Aqua cur viliſſima. Ingenuus.

Cap. XVII

LIBRI primi Sermonum Horatij Satira prima ſunt hi uerſus.

,, *At hunc liberta ſecuri*

,, *Diuiſit mediū fortiſsima Tyndaridarum.*

Quot docti uiri in horum expoſitione uerſuum laborauerunt? uniuerſiq. parum feliciter? Fortaſſe non abſurdum fuerit coniungere uocem Tyndaridarum non cum ,, *fortiſſima*, (id enim natura ſuperlatiui non patitur,) ſed cum ,, *Securi.* ut ſit. Liberta fortiſsima hunc mediū diuiſit ſecuri Tyndaridarum. ideſt, imitata Clytemneſtrae Tyndari

Tyndari filiae facinus. quae securi in caput inlisa maritum interemit. Nec obstat, quod masculino genere comprehendit Clytemnestram. Immo sic ratio postulat. Nam quemadmodum diceremus: Filij Tyndari Polluix, Castor, Helena, Clytemnestra, Phoebe: ita hoc loco masculinum genus femininum comprehendit. Frequens est auctoribus figura haec.

Terent. Eunucho.

„ *Vterq. mater & pater*
„ *Quasi dedita opera domi erant.*

Vix enim umquam Femineo generi Masculinum cedit. Vix dixi: quoniam commodum uenit in mentem illud Ciceronis epistula xxv. libri x. ad Furnium.

„ *Istamq. operam tuam, nauitatem, animum in Rempub.*
„ *celeritati Praeturae anteferendam censeo.*

Ausonius imitatus Horatium patronymico masculino comprendit femininum de Niobe loquens.

„ *Thebarum regina fui. Sipyleia cautes*
„ *Quae modo sum. laesi numina Latoidûm.*

est enim ibi Latoidûm contractum pro Latoidarum.

Non est uero alienum a superiore argumento admonere, quod Athenaeus scriptum reliquit, de Ouo Laedae. Ouum adpellatam fuisse aulam: in qua Laeda liberos peperit. Hinc fabulae origo.

Paullo supra in ea, quam nominauimus, satira, adnotandus est Datiuus uerbo „ *Refert*, additus in eo uersu.

„ *Vel dic: quid referat intra*
„ *Naturae fines uiuenti.*

Quod exemplum fortasse est singulare.

Balatrones & Ambubaiae uocabula sunt initio Satirae secundae libri primi Horatij. Otho Frisingensis lib. v cap. xiij. Balatrones exponit Scurras & Moriones. Alij Balatronem proprium nomen fuisse cuiusdam insignis scurrae tradunt.

Ambubaiae uocem esse Syriacam dicunt significantem

De hac voce Aralcer Interpr. [illegible] Scabotu vide Vossi de Vit. Serm.

Alij lat. ina. putant ab ambu.. et baias locum amenissimum et uoluptatis plenum Ascens. in Horat.

Tibicinas. Quo in sensu fortasse Ambubaiae illae apud Suetonium in Nerone sunt accipiendae.

Falsũ quia vocabulus est a nominatiuo Bacchus

Satira tertia lib. I. legendum esse, Io Bacchae, non autem Io Bacche, ultimae syllabae ratio admonere Lambinum potuit. Fuit autem uox Baccharum se inuicem cohortantium.

Ibidem.

» *In Cruce suffigat Labeone insanior ipso.* inter

De huius Labeonis procacissima linguae libertate in Augustum, qui maledicta malefactis cumulate poterat retundere, legatur Dio lib. LIV

Ibidem poeta uilissimam aquam adpellat, cum dicit,

» *Venit uilissima rerum*
» *Hic aqua.*

non quod contemptui sit, & neglectui, sed quod obuia, multa, abundans, & nulla impensa parabilis. Sic Virgilius de Pomis, & Faselis.

» *Vilibus aut onerat pomis.*
» *Vilemq. faselum.*

Ingenuus Satira sexta eiusdem libri in his uersibus.

» *Cum referre negas, quali sit quisq. parente*
» *Natus, dum ingenuus.*

non refertur ad Libertinum, ut censet Lambinus: sed significat probum, uerecundum, & iustum. Sic Cic. lib. v. epist. Familiarium.

» *Verum enim scribam: teneriore mihi animo uidebare: si-*
» *cut omnes fere: qui uita ingenua in beata & libera ciui-*
» *tate uiximus.*

Rectius igitur Acron sentit: qui exponit sic.

» *Ingenuus autem ad moris probitatem pertinet.*

SATIRA

SATIRA FVERIT NE TOTA ROMANORVM.
Satiram nullam soluta oratione scriptam. Rudior Latina uox non est.
Cap. XVIII

Controuersia est inter ueteres scriptores, fueritne Satira tota Romanorum: quoniam aliqui eamdem etiam Graecis uindicant. Horatius, Quinctilianus, & Acron Latinorum partes fouent. Diogenes Laertius, & Diomedes Grammaticus ab usu Satirae Graecos non excludunt. Singulorum uerba audiamus. Ponemus autem prius testimonia eorum, qui Latinis Satirae inuentionem, & usum tribuunt. deinde addemus eorum auctoritates, qui Graecorum etiam fuisse crediderunt.

Horatius Satira x. libri primi.

Hoc erat experto frustra Varrone Atacino,
Atq. quibusdam alijs, melius quod scribere possem
Inuentore minor. Neq. ego illi detrahere ausim
Haerentem capiti multa cum laude coronam.
At dixi, fluere hunc latulentum.

Idem Satira j. lib. ij

Quid? cum est Lucillius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem.

Fabius lib. x. cap. 1

Satira quidem tota nostra est. & in qua primus insignem laudem adeptus est Lucillius. qui quosdã ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non eiusdem modo operae auctoribus, sed omnibus poetis praeferre non dubitent.

Plinius secundus in epistula ad librum Naturalis historiae.

Quod si hoc Lucillius, qui primus condidit Styli nasum.

Acron ad illum uersum Horatij in epist. de Poetica ad Pisones, & *Graecis intacti Carminis auctor.* sic inquit.

Hoc ideo dictum: quia primus Satiram Graecis intactam

uersibus

uersibus hexametris scripsit. Etiam Graecis auctor operis est.

Atq. hi sunt, qui totam Latinorum esse Satiram uolunt. Nunc proferamus testimonia illorum, qui Graecis non ignotam fuisse eamdem tradiderunt.

Diogenes Laertius lib. ij. Menedemo.

Ea omnia memorat Lycophron in Satira: quam inscripsit Menedemus.

Idem IX. Timone.

Nam & poemata conscripsit, & uersus, Tragoedias, & Satiras, & Comoedias xxx

Idem lib. v. Demetrio.

Demetrium alium Satiricum recenset.

Idem lib. iij. Platone.

Erat autem quartum poema Satiricum.

Apuleius IV. Floridorum.

Canit enim Empedocles carmina: Plato dialogos: Socrates hymnos: Epicarmus modos: Xenophon historias: Xenocrates Satiras.

Diomedes Grammaticus.

Poematos Dramatici genera sunt quattuor apud Graecos. Tragoedica: Comica: Satirica: Mimica.

Idem paullo post uerbis, quae referam. in quibus uitij est sine dubio aliquid.

Satira est carmẽ apud Romanos nũc quidẽ, apud Graecos maledicum: & ad carpendum hominum uitia Archeae Comoediae charactere compositum. quale scripserunt Lucillius, Horatius & Persius.

Neq. uero dederim, pedestri stylo ante Lucilliũ fuisse illam apud Romanos conscriptam. ne forte ueteres Horatij interpretes aliquem decipiant: qui harum ineptiarum sunt auctores. Omnino Graecis (si quidem ili Satiram habuerunt) & Latinis metro illa adstricta fuit. Primum Satira poema est. Id docent Horatius & Diomedes. Deinde nullum habemus solutae orationis exemplum. Nam illud Ennij exemplum, quod exstat apud Nonium in Obstringillare.

» *Restitant, occurrunt, obstant, Obstringillant, obagitant.*
est Brachycatalecticum metrũ Iambicum (si modo ea omnia uerba uno uersu sunt comprehendenda) cui supra Trimetri uersus naturam pes unus superaabũdat. sic enim adpellat Diomedes uersus uno pede longiores. Etiam Menippeas Satiras suas Varro carmine condidit: uario quidem, sed tamen carmine. cuiusmodi exempla multa apud ueteres Grammaticos, praecipue Nonium Marcellum (quamquam pleraq. incuria librariorum conruptis numeris) leguntur. ex quo pauca quaedam citare est operae pretium. Ille igitur in uoce Merum, ex Menippea, τοῦ πατρὸς παιδίον περὶ παιδοποιίας.

» *Ac liberos parare cui necesse sit.*

In uerbo Seplasium.

» *Varro* ἀνθρωπολίδι περὶ γενεθλιάκῆς.
» *Doti dato insulam Chium, agrum Caecubum.*
» *Seplasia Capuae, Macellum Romuli.*

In Coagulum.

» *Varro. Est modus matulae* περὶ μέθης.
» *Vino nihil iucundius quidquam bibit.*
» *Hoc aegritudinem ad medendum inuenerunt.*
» *Hoc hilaritatis dulce seminarium.*
» *Hoc continet coagulum conuiuia.*

In cogere. ex Varronis Satira Eumenidibus.

» *Furando tamen, ac morbo stimulatus eodem.*
» *Ex sese ipse aliquid quaerat, cogatq. peculi.*

In Tempestas.

» *Varro Eudaemonibus.*
» *Interea tonuit bene tempestate serena.*

Lucillius quoq. uario genere carminis Satiras scripsit. ut lib. xxix. Satirarum apud Nonium in Ignominia.

» *Delicijs maculam, atq. ignominiam inponere.*

In Munes.

» *Lucillius lib. xxvi.*
» *munifici,*
» * *Comesq. amicis nostris* * *uidemur uiri.*

In

In Rudus.

Lucillius lib. xj. Satirarum.

"*Viam struendum, & iniciendum huc adgerem.*

"*Et id genus rudus.*

In Tollere.

Lucill. lib. xxv

"*At cui, quem febris una, una ἀπεψία.*

"*Vni, inquam, Cyathus unus potuit tollere.*

In Tricae, & Tricones.

Lucill. Satira prima lib. xj

"*Nec mihi amatore hoc opus, nec tricone uadato.*

"*Idem*

"*Lucius Cotta senex Crassi pater huius παναίθου,*

"*Magnus trico fuit, nummarius, soluere nulli.*

In Cernuus.

Lucill. Satirarum lib. iij

"*Cernuus extemplo plantas conuestit honesto.*

Ibidem.

Lucill. Satirarum lib. xxvij

"*Modo sursum, modo deorsum, tamquam collus cernui.*

Brachycatalecticus est uersus.

In Tolutim.

Lucill. Satirar. lib. viij

"*Si omne iter euadit, stadiumq. adcliue tolutim.*

&

"*Velle tolutim hic semper incoepturus uidetur.*

In Capulum.

Lucill. Satirar. lib. ij

"*Quem cum uidißet Hortensius, Postumiusq.,*

"*Ceteri item in capulo hunc non esse, aliumq. cubare.*

LVCILLIVM

LVCILLIVM NON PRIMVM *Romanae Satirae scriptorem fuisse, sed Ennium.*

Cap. XIX

Oratio patronos acres ac defensores hic quaero, in caussa, ut mihi uidetur, cõclamata. Ait ille, Lucillium fuisse Satirae primum inuentorem Romae. Et tamen idem paullo post alium Satirae auctorem praedicat. Audiantur eius uersus ex Satira x. lib. I

» *Hoc erat experto frustra Varrone Atacino,*
» *Atq. quibusdam alijs, melius quod dicere possem*
» *Inuentore minor. Neq. enim illi detrahere ausim*
» *Haerentem capiti multa cum laude coronam.*
» *At dixi fluere hunc lutulentum.*

Satira j. lib. ij

» *Millia. me pedibus delectat claudere uerba*
» *Lucilli ritu nostro melioris utroq.*

Paullo post ibidem.

» *Quid? cum est Lucillius ausus*
» *Primus in hunc operis conponere carmina morem?*

Clare his omnibus locis primum satirae inuentorem Lucillum praedicat.

At in eadem x. satira lib. I. alium, non nominando, auctorẽ satirae ante Lucillium dicit, cum sic scribit.

» *Fuerit Lucillus, inquam,*
» *Comis & vrbanus. fuerit limatior idem,*
» *Quam rudis & Graecis intacti carminis auctor.*
» *Quamq. poetarum seniorum, turba.*

Ecce hic alium a Lucilio, Satirae auctorem fuisse scribit. Quo in loco excusem libenter, si queam, Poetam. quod subsidiũ quando praestare nõ queam, admirari interea licet securitatem tot doctorum vi-

rorum: qui posita multa opera in eo explanando hic mutum faciunt. Lambinus tamen satagit acumenq. suum pistillo acutius in eo loco explicando ostendit sic scribens.

" *Fuerit Limatior idem Quam*] *Hunc locum, quem scio*
" *difficilem & impeditũ haberi, sic expedio, atq. explico.*
" *Demus* (inquit Horatius) *Lucillium limatiorem fuisse*
" *quam auctorem Satirae Graecis intactae esse oporteat,*
" *quod idem fere ualet, ac si dicat. Demus Lucillium fuis-*
" *se limatiorem, quam esse debuerit. Atq. ita nomen Ru-*
" *dis in patrio casu accipio: & cum uoce Carminis con-*
" *iungo. Nam quod alii Recti casus faciunt, hoc modo.*
" *Fuerit limatior idem, quam rudis: idest, fuerit limatior*
" *potius, quam rudis & impolitus, hoc illi non recte.*
" *Sic enim eßet locutus Horatius. Fuerit limatior, quam*
" *rudior.*

Probandaeq. formae eius dicendi multa adgerit exempla: quod facere in re omnibus nota non oportuit. Qua tamen in parte bis ac fortasse saepius peccat. Primum adhibet uocem auribus Latinis inauditam „ *Rudior*. ut nõ fuerit Horatius docendus non Latine loqui. Deinde non perpetuum esse praeceptum illud, quod dicit: Limatior, quam rudior, satis docet Columella (eo enim nunc solo auctore contenti erimus) in prooemio libri xij. sic scribens.

" *Idcirco reddit timidiorem, quam uirilem.*

Terminus etiam posterior cõparationis diuersus esse debet a re, aut persona comparata. quae ratio seruatur a poeta, cum subdit.

" *Quam rudis, & Graecis intacti carminis auctor:*
" *Quamq; poetarum seniorum turba.*

idest Limatior auctore carminis rudis & intacti Graecis. Dicet hic aliquis: quemnam tu censes fuisse eum: quem Horatius in illo loco auctorem rudis & intacti Graecis carminis dicit? Rem breuiter expedio. Ennius ille fuit. Antecesisse autem aetate Ennium Lucillio, quilibet discere ex Eusebio potest. Scripsisse uero eumdem Satirã, probatur testimonio

Porphi-

Porphirionis. qui ad illum Horatij uerſum „ *Fruſtra Varrone Atacino*, ſic ſcribit.

„ *Item Ennium: qui quattuor * libros Satirarum reliquit.* * al. vi.

Agellius quoq; lib. xviij. cap. ij. idem teſtatur, ſic ſcribens.

„ *Quorum prima fuit enarratio horum uerſuum: qui ſunt*
„ *in Satiris Q. Ennij, uno multipliciter uerbo concinniter*
„ *implicati. quorum exemplum hoc eſt.*
„ *Nam qui lepide poſtulat alterum fruſtrari,*
„ *Quem fruſtratur, fruſtra eum dicit, fruſtra eſſe.*
„ *Nam qui ſeſe fruſtrari, quem fruſtra ſentit,*
„ *Qui fruſtratur, is fruſtra eſt: ſi non ille eſt fruſtra.*

Nonius in Obſtringillare, quod etiam ſupra poſuimus.

„ *Reſtitant, occurrunt, obſtant, obſtringillant, obagitant.*

Nomen & locum antiqui ſcriptoris, qui hic egregie faceret, non memini. Eius uicem ſubibit. Petrus Crinitus, ſic in lib. de Poetis de Ennio loquens.

„ *Satirarum libros ſcripſit quadratis uerſibus: qui in ma-*
„ *gno pretio habiti ſunt.*

ACER, INTACTUS.

Cap. XX

„ S*unt quibus in Satira uidear nimis acer: & ultra*
„ *Legem tendere opus.*

Acer hic initio primae Satirae ſecundi libri, non eſt in reprehendendis atq; inſectãdis hominum uitijs nimis uehemens, nimis ſaeuus & aſper, ut exponunt nonnulli: ſed altus, robuſtus, neruoſus, elatus, grandis, uehemens in Satira ſcribenda. Cuius ſtylum eſſe oportet humiliorem: quippe qui proxime adcedere debeat ad ſtylũ antiquae comoediae: cuius locũ ſubiit apud latinos Satira. Hãc eſſe uerã hic uerbi huius ſentẽtiã, ſatis declarãt ſtatim ſequẽtia haec carmina.

Sine neruis altera quidquid
Composui esse putat. similesq; meorum
Mille die uersus deduci posse.

Acer igitur ad uires & neruos carminis referri debet, non ad acrimoniam atq; mordacitatem. Immo Horatius in Satira adeo fuit multis partibus Lucillio mitior & temperantior: stylo uero adeo leni & demisso, ut nonnulli olim, & tempestate nostra doctissimi uiri ausi sint, iure an iniuria? hunc praestantissimum poetam Iuuenali, si Dis placet, post habere.

Diuus Thomas.
Iul. Caesar Scaliger.

Ibidem.

Cum sibi quisq; timet, quamuis intactus, & odit.

Quoniam laesi & tacti homines dolent accepto iam malo, non timent: timor enim est damni uenturi: propterea moueor, ut hoc loco Intactus interpreter Innocens, Integer: quiq; uere non queat tangi: & de quo iuste detrahere nullus posset. Lucretius Intactilis diceret.

MALIS ALIENIS RIDERE Triplex.

Cap. XXI

Cum latine dicatur in ius uocare aut rapere: non autem In iura, ego uersum illum Horatii Satira iij. lib. ij. qui nūc sic legitur.

Cum rapias in iura malis ridentem alienis.

Sic restituendum censeo.

Cum rapias in ius malis ridentem alienis.

Quid autem sit malis siue maxillis alienis ridere, Consulatur prouerbium in Adpendice.

Ibidem.

Sume tibi decies: tibi tantumdem: tibi triplex.

Triplex, hic pro ter tantum est. Sic locutus est Liuius lib. vj

» *Multiplex, quam pro numero damnum.*
Aemilius Prolus in Themistocle.
» *Decemplicem numerum hostium profligauit.*

MVRIBVS VITA BREVIS.

Verniliter. Incoquere. Remittere muriam, fucum, labem.

Cap. XXII

CVr Satira vj. lib. ij. Horatius dixit, murium breue esse aeuum eo uersu?
» *Viue memor, quam sis aeui breuis?*
Qui de natura huius animaculi scripsere, tradũt adeo fecundos crebrosq; esse muris partus, ut nisi natura breuem ei uitae terminum statuisset, copia esset futura frugibus, ceterisq; commodis hominum damnosa. Graeci μινυνθαδίους dicunt.

Ibidem.
» *Continuatq; dapes. Nec non uernaliter ipsis*
» *Fungitur officiis, praelambens omne, quod adfert.*
Verniliter ego dicendum puto: Sicut a Scurra Scurriliter. Est autem hoc loco Verniliter furaciter, uel gulose. Sequitur enim „ *Praelambens omne, quod adfert*. Hoc genus hominum saepe prius degustatas, deminutas, praerosas, & semesas a se escas dominis adponunt. Quod uitium egregie apud Terentium Adelphis depingit Syrus sic dicens.
» *Ego iam prospiciam mihi.*
» *Nunc iam adibo: atq; unumquodq;, quod quidem erit*
» *bellissimum,*
» *Carpam. & Cyathos sorbillans paullatim, hunc produ-*
» *cam diem.*
Satira vij. eiusdem libri.
» *Duceris, ut neruis alienis mobile lignum.*
Neq; Acronis placet interpretatio, neq; Lambini: qui de Neurospastis intelligit. Ego accipio de Tro-

chleis,

chleis, Ergatis ipsis, atq. alijs eiusmodi tractorijs machinis. Hae machinae trahunt quidem molem aliquam: sed eaedem machinae mouentur, inpelluntur, aut trahuntur extrinsecus alia ui.

Satira viij. eiusdem lib. vj

» *Erucas uirides, Inulasq; ego primus amaras*
» *Monstraui incoquere: inlotos Curtillus Echinos,*
» *Vt melius, muria: quam testa marina remittit.*

Sensus horum uersuum satis per se erat apertus, nisi Lambinus pilum in oui testa, quod aiunt, quaerens, nouam, idest à se excogitatam, inuitam tamen, & reluctantem lectionem, unde etiam non belle se explicat, intruderet. Reluctantem dixi: quoniam uerbo Incoquere utimur plerumq;, cum loquimur de rebus, quae in liquore, iure ue aliquo alio coquuntur. cui significationi fidem faciunt (ne alia aliunde huc congeram) exempla: quae ipse Lambinus ex Virgilio atq; Horatio adfert. ut satis inde adpareat, naturam repudiare formam hanc dicendi. Erucas Inulis incoquere. Sua igitur uera, & uetusta, & a posteritate accepta lectio uersibus conseruetur, quorum hic est ordo atq; sententia. Ego primus monstraui incoquere muria, quam testa marina remittit, Erucas uirides, Inulasq; amaras. Curtillus monstrauit, eadem incoquere muria Echinos inlotos, ut melius. quod perinde est, ac si dixisset: melius esse incoquere muria inlotos, quam lotos Echinos. Muria autem, quam testa marina remittit, est liquor: qui ex testa marina multo inspersa & macerata sale liquatus effluit. Id enim in his condituris significat uerbum Remitto. Hoc uerum esse diligentissimus, & maxime proprietatis amans Columella probat lib. xij. cap. 1x. cum sic scribit.

» *Caules Lactucae ab imo depurgatos eatenus, qua tenera*
» *folia uidebuntur, in alueo salire oportet: diemq; vnum,*
» *& noctem sinere: dum muriam remittant. deinde mu-*
» *ria eluere.*

Alio, sed oppido quam significanter, & adposito

ſenſu accipitur a Plinio, cum tincturam ſcribit fucum remittere. quod contingit, cum de indole (ut ſic dicam) & ſplendore accepti tinctura coloris deperit uetuſtate, uel uſu aliquid, & quaſi eluitur.

» *Buccinum* (inquit lib. IX. cap. XXIIX.) *per ſe damnatur: quoniam fucum remittit.*

Aliter etiam Horat. epiſt. v. lib. ij

» *Sed ueluti tractata notam labemq; remittunt*
» *Atramenta, fere ſcriptores carmine foedo*
» *Splendida facta linunt.*

ideſt polluunt: & nigrorem, aut aliam maculam adlinunt.

PAGANALIA. DECLARATVR HORATII *locus. Frater. Olympia Coronari.*

Cap. XXIII

» *QVis circum pagos, & circum compita pugnax*
» *Magna coronari contemnat Olympia? cui ſpes,*
» *Cui ſit condicio dulcis ſine puluere palmae?*

Horum trium uerſuũ Horatij ex epiſt. I. lib. I. haec eſt ſententia. Quis, ſi ſperet, ſine puluere & ſudore magna Olympia ideſt in magnis Olympijs uictor ſecurus incommodi & periculi coronari, non id malit: quam cum labore & diſcrimine in uilibus Paganaliorum ludis pugil humilem inde laudem quaerere? De Paganalibus ludis puerorum legere eſt apud Suetonium in Auguſto.

» *Spectauit autem (inquit) ſtudioſiſſime pugiles, & maxime latinos, non legitimos, atq; ordinarios modo, quos etiam committere cum Graecis ſolebat: ſed & cateruarios oppidanos inter anguſtias uicorum pugnantes temere, ac ſine arte.*

Varro

Varro lib. v. de lingua Latina.

" *Feriae non populi modo, sed montanorum: ut Paganalia, quae sunt alicuius pagi.*

Quod adtinet ad illam formam dicendi Coronari Olympia, legãtur, quae diximus ad uersum illum in epistula ad Pisones.

" *Qui Pythia cantat.*

In epistula iij. ad Iulium Florum.

" *Viuitis indigni fraternum rumpere foedus.*

Quomodo fraternum? An amorem tantum intelligit, quantus est fratrum inter se? An fuere Iulius & Munacius fratres germani: sed altero in alterius gentis adoptionem tradito? An fratres uterini tantum fuerunt?

Ep. vij. ad Maecenatem.

" *Qui semel adspexit, quantum dimissa petitis*
" *Praestent, mature redeat, repetasq; priora.*
" *Metiri se quemq. suo modulo ac pede, uerum est.*

γνῶμαι duae sunt. Verba autem sunt poetae, non Philippi: ut putantes nonnulli sententiam ueram non sunt adsecuti. Legendum autem esse semel, ut nos restituimus, non simul, sententia satis probat. Et qui aliter tradiderunt, longe a uero aberrant, uno in loco duos graues errores admittentes.

Lamb.

MEDIVM VITIORVM QVID SIT.

Tesquor.

Cap. XXIIII

" *VIrtus est medium uitiorum, utrinq; reductum.*

Versus est Horatij ex epist. XIX. lib. I ad quem uersum proba est ueterum & nouorum interpretum expositio. Attamẽ, quid? si uirtutẽ medium interpretemur: quae de extremis duobus cõtrarijs uitijs participans, & ex defectu aliquam, & ex excessu aliquã

item

item partē accipiens, temperatā ex utriusq; illis extremis uitijs mixturam efficiat? Certe sic sentit Suidas in uoce μέσον pluribus uerbis acute disputans, quomodo virtutes morum sint Medium.

Epist. xx

" *Quid? si quis uultu ferus, & pede nudo,*
" *Exiguaeq; togae simulet textore Catonem,*
" *Virtutem ne repraesentet, moresq; Catonis?*

In secundo uersu aliqui legunt Tecto Ore, ex historia, quam narrat Plinius Iunior lib. iij. in quadam epist. ad Catillium seuerum his uerbis.

" *Erunt officia antelucana: in quae incidere inpune ne Catoni quidem licuit. Quem tamen C. Caesar ita reprehendit, ut laudet. Describit enim eos, quibus obuius fuerit, cum caput ebrij retexissent, erubuisse. Deinde adicit. Putares, non ab illis Catonem, sed illos a Catone deprehensos. Potuit ne plus auctoritatis tribui Catoni, quam si ebrius quoq; tam uenerabilis erat?*

Verum audax nimis est haec licentia sine auctoritate alicuius ueteris libri. Deinde adcommodare eam historiam uersui & sententiae Horatij est utriq; scriptori uim facere. tum ratio bene loquendi hanc lectionem penitus respuit. Quis enim dicat, aut ferat modum hunc dicendi, Catonem tecto ore exiguae togae abijsse? Alij nulla reddita ratione reponunt Tectore. quae lectio debet esse eadem cum superiore Tect'ore.

Acron omnino uidetur legisse Textore, cum sic exponit; qualem fecerit textor. Non desunt, qui Gestore legant. Iustus Lipsius uir doctus lib. primo Electorum cap. xiij. testatur se in uetere scripto libro reperisse scriptum Tesquore. neq; aliud addit. Quae lectio uidetur bis a Porphirione comprobari. Primum, cum in eiusdem uersus expositione sic inquit.

" *Metonymia, id quod sit, pro eo, qui facit.*

deinde, quando tertium a superioribus uersum exponens hunc,

" *Decipit exemplar uitiis imitabile,*
sic scribit.
" *Vt ille: qui Catonem imitari se putat, si tristis ac sordida-*
" *tus incedat.*
satis manifeste Porphirio exprimit notionem uerbi Tesquor, cum Tristis & Sordidatus dicit. Tesqua namq;, siue Tesca (sic enim scribitur apud Varronem) loca sunt inculta, deserta, aspera, difficilia, horrida, & senta. Inde uerbum hoc Horatius uel formauit ipse nouum, qualia aliquot alia apud ipsum non ante auribus latinis audita leguntur: uel ab antiquiore auctore mutuatus commodum hic illi locum tribuit. quod uerbum Squalorem, sordes, horrorem significat, & situm. De uerbo Tesqua meminerunt Acron & Porphirio in epistulam libri primi decimamquartam. Item Varro, & Festus Pompeius. De utro autem Catone Maiore ne, an Vticense sit intelligendum, parum refert. utriusq; enim par fuit natura, & mores pares. Quamquam, ut hic de posteriore accipiam, faciunt uerba Suetonij a nobis supra citata. Libet tamen etiam adiungere aliquot ex Plutarcho testimonia: quae confirmant ea, quae ab Horatio de Catone scribuntur. Iste igitur in eius uita diuersis in locis sic scribit.
" *Ferunt autem statim a pueritia constantiam & seuerita-*
" *tem Catonis conspicuam fuisse. Vim namq; habebat ul-*
" *tra aetatem eius incoeptam. Adulatoribus asper: terren-*
" *tibus aduersus: tardus ad risum: ut perraro uultum re-*
" *mitteret. ad iram non facile labens: sed cum in eam de-*
" *uenerat, implacabilis.*
&
" *In ceteris, quae ad uictum pertinebant: durus & seue-*
" *rus erat.*
&
" *Seueritatem rigoremq; bonitate & gratia immotam ad-*
" *amauit.*
&
" *Interdum uero nudis pedibus (hoc arguit mendacij Acro-*
nem:

» *nem: qui Catonem negat nudis pedibus solitum incedere)*
» *& absq; tunica in publicum prodibat.*
&
» *Saepe nudis pedibus, & sine toga ad rostra uenire.*
&
» *Post prandium rursus, ut solebat, sine calceis, & tunica*
» *in forum ueniens una cum familiaribus ambulabat.*
&
» *Cato autem torue ipsum prospiciens.*

DOSSENNVS. QVANDO PRIMVM Romani barbam alere desierunt.
Ducere aera.

Cap. XXV

MIror Lambinum tantopere satagere in nomine Dossennus (sic enim scribendum est, non Dorsennus) ad epistulam primã lib. ij. eiusdem Horatij ad Maecenatem. Fuit hic Dossennus Poeta Comicus inter antiquiores relatus. Est eius mentio apud Senecam, & Festum Pompeium in uoce Temetum. Citat quoq; Plinius secundus lib. xiv. cap. xiij. aliquot huius Fabij Dossenni non inlepidos uersus. Est apud me nummus argenteus cum effigie Poetae barbata. Quod indicat fuisse eum ante Superiorem Africanum. Qui primus Romae incoepit barbam non alere. qui mos ad Imperatorem Hadrianum durauit. Hic namq;, ut uulneris in facie cicatricem tegeret, nõ radendae barbae morem induxit. Habet nummus sub effigie inscriptionem hunc DOSSEN. a tergo quadriiugem currum. Subtus est B R I. prioribus literis confusis, ut cognosci non possint. Suspicari possint nonnulli Britannos indicari: moueriq; ad id credẽdum: quod in prima parte currus, superinposita est quasi casula, aut turris cum fenestris: unde pugnarent essedarij.

Sed ea tempestate nondum Romanis cognita erat Britannia: certe intacta.

Ibidem.

» *Spectaret populum ludis adtentius ipsis.*
» *Vt sibi praebentem mimo spectacula plura.*

Sententia uersuum horum est. Spectaret Democritus adtẽtius quam ludos & mimos ipsos, populum. Caperetq; maiorem uoluptatem spectans dementiam & leuitatem populi, quam ex ludis & Mimis ipsis. Hic omnes interpretes ridiculi sunt.

Ibidem.

» *Edicto uetuit: ne quis se praeter Apellem*
» *Pingeret: aut alius Lysippo duceret aera*
» *Fortis Alexandri uultum simulantia.*

Pluribus uerbis disputat hic Lambinus: & pro Duceret legendum putat Funderet, aut Cuderet. Ego nihil mutandum censeo. Dicit enim Horatius Ducere aera pro ducere aereas imagines Fortis Alexandri uultum simulantes. Quid etiam, si aere accipiamus pro ex aere? Certe Apuleius scribit Floridorum primo.

» *Sed inprimis illud praeclarum Alexandri, quod imagi-*
» *nem suam, quo certius posteris proderetur, noluit multis*
» *artificibus uulgo contaminari. Sed edixit uniuerso orbi*
» *suo, ne quis effigiem Regis temere adsimilaret aere, colo-*
» *re, caelamine. Quin saepe solus eam Polycletus aere*
» *duceret. solus Apelles coloribus delinearet: solus Pyr-*
» *goteles Caelamine excuderet.*

Ibidem.

» *Munera, quae multa dantis cum laude tulerunt.*
» *Dilecti tibi Virgilius, Variusq; poetae.*

Multa cum dantis laude Maecenatis scilicet. Laudatur Maecenas non solum quia liberalis: sed quia cum iudicio dabat, bonis scilicet & merentibus. Notus est ille uersus.

» *Beneficium dando accipit, qui digno dedit.*

Magna scilicet laus sequitur digno dantem. Longe grauior gratiorq; est sententia haec, quam si (quod

alij faciunt) intelligas atq; exponas. Abeunt donati & laudati.

CICVTA σικύα. DE CLYSTERIBVS. Cicuta non semper perimit. De pronunciandis diphthongis. Duas continuatas liquidas in una syllaba non conlocari.

Cap. XXVI

QVae intemperiae adegerunt uirum doctum Lambinum exponentem uersus hos Horatij?

„ *Sed quod non desit habentem*
„ *Quae poterunt umquam satis expurgare*
„ *cicutae?*

Quid, inquam, impulit hominem pro cicutae, legere Sicuae, siue Sicyiae? Audacia est, ne temeritatem dicam, adulterinam uocem, auribus latinis non auditam occupare alienam sedem: & per indignam uim atq; iniuriam nulla ne leui quidem umbra iuris, ut sic loquar, de legitima possessione ab omnibus antiquis & recentibus libris, & a consensu interpretum uniuersorum huic loco addicta deicere ueterem dominam? Sed rem perpendamus. σικύαν, & σικυῖαν Graeci dicunt. si, σικυῖαν latine uoluit scribere, seruanda fuit integra diphthongus abusiua: ut mediae syllabae consuleretur, quae producta est. quod faciunt, qui Ἁρπυῖας Harpyias scribunt, non Arpuas. Si a σικύας deducit Sicuas, in eamdem fraudem incidit. Media enim, quae esse in uersu Horatij longa debet, in σικύα breuis omnino est. quod probat in simili stripe uocalis eadem in uersu, qui est apud Athenaeum.

„ τὸν σίκυον τρωγόυσα γλῶυαι τήν χλαῖναν ὕφαινε.

alter etiam apud Suidam in uoce Πρω, prouerbij nomine prolatus.

» Ἀρχομένων σικυῶν, καὶ λιγυούσων κολοκυντῶν.

Item ille a Scholiaste Aristophanis in Acharn. & a Suida ex quodam epigrammate adlatus.

» Καὶ σίκυον χνοάοντα, τὸν ἐν φύλλοις πεδοκοίτην.

Atq;, quod ait Lambinus Cicutam non adhiberi a medicis ad purgandum, neq; Cicutam uim ullam purgandi habere, ut fortasse non mentiatur, certe mēdacium dicit. Si quidem aliqua est Plinij auctoritas. qui lib. xxvj. cap. xiv. Cicutam inter purgantia numerat sic scribens.

» *Cum ceroto apostemata, & ulcera tetra folia Mandragorae recentia: radix uulnera cum melle aut oleo: Cicuta cum seligine mista mero: Aizoum Herpetas quoq; & Nomas, ac putrescentia: sicut Erigoron uerminosa: recentia autem uulnera Astragali radix, ut uetera quoq: ulcera, purgat Hipocisthis utraq;.*

aliud est purgationis genus.

Quod autem Cucurbitis medicinalibus purgandi uerbum adtribuit idem Lambinus, ego obseruaui ueteres scriptores plerumq; aliter loqui. Quin uerbum illud expurgare ad euacuationes maxime pertinet, quae deiectione alui superioris & inferioris fiunt. quod non item ad sanguinem exsugendum per cucurbitas satis recte dicitur. Quippe illae (ut opportunitates omittam alias harum cucurbitarum ab Hippocrate expositas) si tumenti qualibet de offensione parti, aut si cuti considerate clementerq; scarificatae acie nouaculae imponuntur, & quasi adglutinantur ui flammulae in stupa adcensae, potius quam purgare, dicentur sanguine leuare: euacuare: educere: adtrahere: extrahere: eruere: & exsugere sanguinem. Nam, quae integrae parti ad humores; atq; ad reiectionem sanguinis, & ad profluuium menstruorum coercēdum maiores plerumq; cucurbitae adhibentur, fere dicuntur sistere. Haec uera esse omnia, fatebuntur, quicumq; medicorum libros consulerit, & Plinium, ubicumq; in hac sententia scribit de Mandragora, Elleboro, Cucurbitisq; his medicinalibus.

Quod

Quod idem Lambinus ſcribit, Cicutam immoderato frigore enecare, id negat nemo: loqui tamen cum aliqua conrectione debuit. quoniam tantum abeſt, ut tota Cicuta uenenum ſit, ut etiam menſis adhibeatur. Audiamus Plinium lib. xxv. cap. xiij. ſic loquentem.

» *Cicuta uenenum eſt, publice Athenienſium poena inuiſa:*
» *ad multa tamen uſus nõ omittendi. ſemen habet noxium:*
» *Caulis autem & uiridis eſtur a pleriſq; & in patinis.*

Apuleius in oratione pro ſe priore.

» *Vt ſi helleborum, uel Cicutam, uel ſuccum papaueris*
» *emiſſem, item alia eiuſmodi: quorum moderatus uſus ſa-*
» *lutaris: ſed commiſtio, uel quantitas noxia eſt.*

Ad quos autem uſus ſit opportuna, legatur Plinius idem pluribus in locis. breuitatis enim cauſſa huc ea non congerenda exiſtimaui. Dioſcorides quoq; de eius ſucco ſcribens lib. IV. quantum ei tribuit?

» Εςι δὲ πολύχρηςον εἰς τὴν ὑγιαςικὴν χρῆσιν ξυρανθὲν.

Columella etiam lib. vij. cap. v. Cicutae] ſuccum uiridis ad tollendam ouium ſcabriciem opportunum eſſe tradit.

Ex his igitur omnibus rationibus cenſeo, Horatium hoc loco nomine Cicutae potionem intelligere ex Cicuta, temperata fortaſſe etiam miſtura aliorum medicamentorum: Cuiuſmodi ad uarios uſus complura legere eſt apud Plinium, ut dixi, atq. alios. At Cicuta uenenum eſt. quaſi pleraq; medicamenta purgantia, peregrina praeſertim, niſi ſint ſcienter praeparata, & macerata, domitaq; ſocietate clementiorum medicamentorum, noxia pernicioſaq; non ſint. quippe quae natura ſua extergent, exterunt, & rodunt. Itaq; Homerus φάρμακα dixit κακὰ. Sapienterq; Plato in Timaeo ad finem fugitandas monet purgationes omnes non neceſſarias.

» τρίτον δὲ εἶδος κινήσεως σφόδρα ποτὲ αναγκαζομένω χρήσι-
» μον. ἄλλως δὲ οὐδαμῶς τῷ νοῦν ἔχοντι προσδεκτέον τὸ τῆς
» φαρμακευτικῆς καθάρσεως γιγνόμενον ἰατρικὸν. τὰ γαρ νοσή-
» ματα, ὅσα μὴ μεγάλους ἔχει κινδίνους, οὐκ ἐρεθιςέον φαρ-
» μακείαις.

Quid?

Quid? si Cicutam hic apud Horatium accipiamus omnino pro ueneno? interpretemurq;? Non omnes Cicutae, non omnia Aconita, non omnia toxica mihi poterunt etiam enecando eripere, quin „ *Melius dormire putem, quam scribere uersus?* Fuit, cum aliquando putarim nomine Cicutae poetam intelligere Crunos, siue Siphones (sic enim Columella lib. IX. cap. XIV. uocat) idest fistulas: quibus Clysteres per anum in intestina induuntur: eluunturq; eadem intestina: aluusq; exoneratur & purgatur. Cicutae enim nomine etiam internodium significari in omnibus geniculatis stirpibus, quae concauae sunt & uacuae, cuiusmodi est Cicuta ipsa, frumenti calamus, Arundines, & alia similia, satis nos docet Virgilius cum inquit.

„ *Est mihi disparibus septem compacta Cicutis*
„ *Fistula.*

Glossarium quoq;, sic exponit.

„ Αυλὸς ἀπὸ καλάμου. *Cicuta.*

ut apud Virgilium uerius sit intelligere de omni calamo potius, quam de Cicutae calamo tantum: quod uoluit uir doctus. Initio autem hae Clysterum fistulae & siphones, (quos Festus in uoce Eudiaeor Clysterion uidetur adpellare) ex internodijs arundinum confectas esse credibile est. Immo hodie quoq; tenuis plebecula utitur his ipsis arundinum internodijs pro aereis Siphonibus superimposita caua perforata scutella, ad ius decoctum Clysteris capiendum, inserto in ima arundine calamo pennae anserinae aut olorinae similitudine inuersi colli & rostri Gruis. Atq; de Cicuta hactenus. Admonet me diphthongus illa in uocibus Sicyia & Harpyia, ut de ratione scribendi & pronunciandi eas latine hic aliquid dicam.

Iul. Caesar Saliger.

Scribendam atq; enunciandam utramq; uocalem in diphthongis Latinis esse, res est satis iam constituta & nota. etsi pleriq; omnes contenti scientia rationis, uulgus proferendo sequimur. Diximus Lambinum

non debuiſſe Sicuam ſcribere ſi σικῦαν uoluit exprimere. Hoc iam dubitationem non habet. Quomodo autem ſubiunctiuas uocales diphthongi oporteat diſponi in ſcribendo & pronunciando, fortaſſe inter omnes non conuenit. Sunt nonnulli ex antiquis Grammaticis, qui τὸ ἰῶτα diphthongi in Harpyia & ſimilibus cenſuerunt a praecedente uocali diſtrahi, & cum ſequente uocali coniungi debere hoc modo. Harpy ia: Mihi aliter uidetur. Cauſſae, quae ad id cenſendum mouent, hae ſunt. Vt in reliquis diphthongis Graecis, cum latine ſcribuntur, ſubiunctiua uocalis, ſubiunctiua manet, ſic etiam in hac diphthongo τὸ ἰῶτα adhaerebit praepoſitiuae ſuae. ut pari iure ſit cum reliquis. Scriberturq; Sicyi, a, & Harpyi, a. Praeterea αι diphthongus Graeca, latine ſcripta ſemper perſeuerat eſſe τὸ ae: ſi quidem a iure non receditur. quod clare patet in Αἰνείας Aeneas, Aeneades, Aeneius. Si id non ſit, peſsime conſuleretur ceteris. Quid quaeſo, eſt eventurum uocali ε praepoſitiuae in ευ diphthongo, niſi υ uocalem ſubiunctiuam diphthongo cõſeruemus & adplicemus ſuam? Namq;, ſi in Ευαγόρας & Εὔανδρος nos τὸ ὐ a diphthongo detrahentes, ac facientes conſonantem, adplicando ſequenti uocali, E, uagoras & E, uander dicamus, neceſſe eſt E, remanere breuem. Demonſtrationes hae lineales ſunt. nec quidquam uere dici contra poteſt. Ipſi Graeci, ſi quando diphthongum hanc diſſoluunt, uoluntq; priorem uocalem eſſe longam uertunt ἔφιλον, in η. ſi uero breuem, nulla eſt mutatio neceſſaria. Pro teſtimonio, duae ſufficiant ex Heſiodi Theogonia uoces ἔυκομος & ἐυςέφανος.

„ ἠΰκόμους θ' Ἀρπῦιας, Ἀελλώ τ' ὠκυπετήντε.

&

„ Γείνατο καὶ Πολύδωρον εὐ̈ςεφάνῳ ἐνὶ Θήβῃ.

Atq; (quod ab hac diſputatione non eſt admodum alienum) facimus ne recte nos, qui in uocibus his „ *Maia*, „ *Aiax*, & quae ſunt his ſimilia τὸ ἰῶτα, quae

graece loquentibus & ſcribentibus eſt ſubiunctiuæ diphthongi, cum ſequente uocali coniungimus? Auſonius auſus eſt latine ſcribere, cum dicit, Salaminius Aeas. Longius abeamus aliquantiſper. In dictionibus ſimplicibus duarum plurium ue ſyllabarum, in quibus inſunt duae plures ue conſonantes, quarum prima poſsit ſtatim ſequenti incumbere, ut in hoc nomine „ *Caſtra*, In his, inquam, quid ſtatuemus? adhaerebit τὸ s, priori uocali, an cum ſequente coniuncta conſonante, uocali ſequenti ſeruiet? Probus Grammaticus diuidendas conſonantes cenſet. itaq; in hac uoce „ *aeſtas*. τὸ s, praecedenti ſyllabae adiungit. Eſt Mediolanij in hortis urbanis I. V. C. Vidi Mazentae nobiliſsimi, & eleganti ſsimi uiri inſculpta in Lunenſi candido marmore προτομὴ uel Cybeles turritae, uel Haſtae urbis: a cuius utroq; latere uox haec Haſta ſic diuiſa conſpicitur.
Has TA. Vniuerſae ne ſimiles uoces ad hanc tamquam normam reuocari debeant, doctorum iudicium eſto. In duabus liquidis exſtat praeiudicium Probi Grammatici: qui M, & N, coniungi numquã debere iudicat, paucis nominibus exceptis. ut in Mnaſylas, & Mnemon. ego adderem etiam Polymneſtor (primas enim duas ſyllabas in hac dictione alibi demonſtrauimus eſſe breues) & ſic aliquot alia. Ergo auctore Probo pronunciabimus om nis, non o, mnis. Fortaſſe quod ad nomen Has TA, & ad marmor Mazentae adtinet, dici poteſt, marmorariorum arbitrium fuiſſe, ut ex libidine ſua uoces ſecarent: uniuſq; ſyllabae partem fini praecedentis uerbi, partem initio ſequentis adtribuerent. Quod procliue eſt iudicare ex nõnullis antiquis marmoribus. in quibus ſyllabae diuiſae prope prodigioſe sũt nulla cogente neceſsitate, quippe uacãte & ſuperãte ſpacio intra eos cancellos & limites, quos ſibi in longitudinẽ rectis lineis praeſignarint. Cuiuſmodi adponimus inſcriptionũ duarum partem eam (nam integras alibi retulimus) quae ad rem praeſentẽ facit.

Hastae. Dertonae.

DECVRIO. HAST. ET	LEG. V. M. CONI VGI

pronunciabant ne antiqui I, & V, consonantes separatim a sequente uocali? Id propono propter τὸ I. separatum a sequẽte uocali in hac inscriptione Dertonensi. Atq; hanc postremam partem addidi in gratiam sodalis amabilissimi Fabij Bellonij: qui cum iure arctissimae necessitudinis posset imperare, rogauit: ut caput hoc longiusculum hac adpendice cumularem.

MEDIASTINVS. LVDERE.

Cap. XXVII

MEdiastinus, quod uerbum est in epistula XIV. libri primi Horatij, non a Medius & ἄστυ. neq; a Medius & stando, ut putant, compositum nomen est. Sed uox est simplex a Medius deriuata, ea terminatione, qua Clandestinus a Clam, & Paupertinus a Pauper. Mediastini autem in familia urbana serui condicione erant pessima. quippe quibus omnium prope imperio esset parendum. Villicus autem seruus plerumq; fuit, primas in familia rustica gerens: impositus a domino reliquis ad distribuendum suas cuiq; operas, & diaria. eratq; tamquam domini uicarius. De quo, & de eius officio legatur octauum caput libri primi diligentissimi Columellae. Addidi autẽ „*plerumq;*, cum seruũ fuisse dixi: quoniam partes Villici interdum etiam

liberis mandatae ſunt. quod cognoſci poteſt ex oratione Ciceronis pro L. Flacco, non procul a fine. ubi datum eſſe iudicium in Villicum M. Lurconis libertum narrat. Nam niſi uillicus ille liber fuiſſet non eſſet in iudicium uocatus. Atq; ſint haec dicta in epiſtulae, quam dixi, uerſus hos.

» *Tu mediaſtinus tacita prece rura petebas.*
» *Nunc urbem & ludos & balnea uillicus optas.*

Sequitur ibidem hic uerſus.

» *Non Luſiſſe pudet, ſed non incidere ludem.*

Hic uerbum Luſiſſe tectum illud quidem eſt, & honeſtum: quo tamen amantium atq; coniugum etiam congreſſus ſignificãtur. quo in ſenſu fortaſſe hic accipiendum eſt. Sic Graeci παίζειν dicunt. In quam notionem protulit Moſes Geneſis cap. xxv

» Καὶ παρακύψας ἀβιμελὲχ ὁ βασιλεὺς γεράρων διὰ τῆς θυρίδος, εἶδε τὸν ἰσαὰκ παίζοντα μετὰ ῥαβέκκας τῆς γυναικὸς αὐτοῦ.

Noſtrates quoq; mulieres interdum inter ſe laetius fabulantes, tecto hoc uerbo uerecunde ſignificant, quod pudor & modeſtia ſuo uerbo prohibet proferre.

LEVO. GRATE. DECLARATVS
Horatij uerſus.

Cap. XXVIII

Leuare prima ſyllaba producta eſt leuigare, & polire apud Horatium epiſt. ultima libri ij

» *Nimis aſpera ſano*
» *Leuabit cultu.*

Quãtitas ſyllabae primae ſi animaduerſa eſſet, Porphirionem in errorem non traxiſſet. quamquam fortaſſe alius a Porphirione id admiſit. Ibidem.

» *Fuit haud ignobilis Argis:*
» *Qui ſe credebat miros audire tragoedos.*

Legantur

Legantur Petrus Victorius libro Variarum Lectionum iij. cap. ix. & Robortellus Adnotationum pag. xxvij. & Aelianus Variae historiae lib. iv. ad finem.

Ibidem.

» *Natales grate numeras?*

Sententia haec est. De longa aetate gratularis? gratusq; es erga Deos? diuturnioris uitae gratiam a Dis agnoscis? refers acceptam Dis uitae longitudinem? Hic Lambinus crasse alucinatur.

Ibidem.

» *Cur alter fratrum cessare, ludere, & ungi*
» *Praeferat Herodis palmetis pinguibus: alter*
» *Diues & importunus ad umbram, lucis ab ortu*
» *Siluestrem flammis, & ferro mitiget agrum*
» *Scit Genius.*

Quorsum hic infarcit Lambinus Herodis fratrem? habuit quidem Herodes fratrem Pheroram, & fortasse alios quoq;. sed nec frater, nec Herodes ipse in hac similitudine locum ullum habet: nisi quatenus diuitem significat. Sensus est. Diuersa sunt hominum studia, adeo: ut ne duos quidem fratres reperias: qui eamdem uitae rationem sequantur. Testes sunt Terentiani fratres Demea & Mitio. Ita hic alter laetam, quietam, ociosam, securam, uoluptariam, & deliciosam uitam uel opibus Croesi anteponit. Alter noctem diei laborando continuat. fodit, arat, serit, duriter, parce uitam agit: per omne genus laborum se terit & excruciat, quaerendo, & cumulando semper intentus.

AELIANI

AELIANI LOCVS DEMONSTRATVS integer & declaratus.

Cap. XXIX

Pindarus, ut eſt apud Aelianum lib. xiij Variae hiſtoriae, quinquies cum Corinna nobili poetria, & apud ciues gratioſa ſtultos Thebis nactus auditores, cauſſa cecidit. Quorum arguens Pindarus inſcitiam συνεκάλει τὴν Κορίνναν. ſic enim legitur. nec ullo modo aut addi quidquam, aut mutari lectio debet. ſententiaq; eſt cum perſpicua, tum elegans, & grauitate tanti uiri digna. συγκαλέω autẽ praeter alias notiones ſignificat etiam Adpello, & Prouoco.

En do plorato (inquit Gloſſarium uetus) συνκάλεσον.
& alibi.
Prouocat, προκαλεῖται, Ἐπικαλεῖται.

Haec uerbi uis non animaduerſa, nonnullis cauſſam praebuit conrumpendi locum. qui per uim furcillis eiecta uoce naturali, & cauſſae lociq; propria adulterinam, abſurdamq; ſubſtituentes pro Corinna Κορωνὴν ſenſu ineleganti, ruſtico, & contumelioſo legunt. Alij Κορωνὴν ſeruantes anteponunt uocem ὗν ſic legentes συνεκάλει ὗν Κόριννάμ. adpellabat ſuem Corinnam. Sed non tam amens & praeceps fuit Pindarus: ut iuſtam, uincibilemq; (ut Terentiano uerbo utar) cauſſam, ipſe non modo ſuae facultatis cõſcius, ſed etiam aequus aeſtimator uirtutis aemulae aduerſariaeq; ſuae, deteriorem faceret intemperantia impotentis iracundiae, & contumelioſo conuicio, nullum ullius feſtiui ſaltiq; leporis honeſtum, & ingenuo doctoq; uiro aculeum habente. Iudicaſſent certe uniuerſi, Pindarum, ut claudi celeritatis, uiriumq; ſubſidio deſtituti equos conſcendunt, ſic ipſum diffiſum cauſſae ad auxilium probrorum confugere.

fugere. Non solum de aduersaria nihil humile sensit sed etiam, cum eamdem iudicem sumit, hac animi altitudine fiduciae plena quantam adspergit mulieri iudicij, iustitiae, & fidei commendationem? Neq; uero dubito, cũ duo in hoc Aeliani loco acrius controuersentur & concertent, quin, si non ab utroq;, certe ab altero, de cuius probitate & uirtute ex eiusdem scriptis iudico, nostra haec animaduersio gratiam ineat, & beneuolentiam conciliet. Non absimile autem refertur Euripidis grauis & seueri uiri dictum. qui ab imperitis aestimatoribus iudicatus inferior, aduersarium urbane & grauiter simul adpellans inquit: Non te pudet Euripidem uincere?

NEPTVNVS VNDE DICATVR.

Locum Ciceronis non esse mutandum.
Virgilij uersus emendatus.
Cap. XXX

LIbro secundo de Diuinatione tradit Cicero: ut a Portu Portunum, sic a Nando Neptunum deduci.

Ibi nonnulli pro Nando, a Nuptu, uel a Nubendo censent legendum. Sed nihil mutandum est. Nam abiret a se ipse Cicero: qui paullo supra dixit.

» *Quiq; aer per maria manat (fortasse pro manat legendum est, nat. sed significatione utrumq. idem est) eum esse Neptunum.*

Libro iij. Aeneidis Virgilij sunt hi uersus.

» *Trunca manum pinus regit, & uestigia firmat.*
» *Lanigerae comitantur oues. ea sola uoluptas,*
» *Solamenq; mali de collo fistula pendet.*

ad quos uersus Pierius admonet, in aliquot uetustis scriptis libris tertium uersum esse hemistichium: hoc modo.

» *Solamenq; mali.*

Ego quoq; sequentem partem uersus spuriam esse iudico.

iudico. esseq. suplementum imperiti alicuius non solum non necessarium sed etiã contrariũ superioris uersus extremae parti. Nam si ouium comitatus fuit sola Polyphemo uoluptas, non ergo addi debuit haec altera, fistula de collo pendens.

SATVRA LEX. SATVRA LANX.
Cap. XXXI

QVaesumus dicimus pro Quaesimus. contra Portubus, Ficubus, cum alijs similibus. Pari modo Satura & Satira poema. & Satira & Satura lex: & Satura & Satira Lanx aut Farcimen. Itaq. apud Tibullum lib. j. elegia ij. Vetustus codex Vaticanus Satiri pro Saturi habet in hoc uersu.

" *Turbaq; uernarum satiri bona signa coloni.*

Saturam autem legem, & Saturam lancem a Satur, ut est dictum, nomine, uel a uerbo Saturo deduci, illa, quod una rogatione plura iuberet: haec, quod pluribus, & uarijs cibis aut frugibus esset referta, omnibus est notum. & Glossarium uetus inquit.

" *Satura.* νόμος πολλὰ περιέχων.

MEDIOLANIVM. NON MEDIOLANVM SCRIBI.
Istaec, & Isthaec. Caelum, & Coelum.
Deliciae, & Delitiae.
Cap. XXXII

Casaub. in Athen. lib. 14. c. 13. p. 578. eo.

LEuicula res, non contemnenda tamen. Mediolanium sex syllabis, non Mediolanum scribi oportere docent tres antiquae inscriptiones: quas in marmoreis partim tabulis, partim Stylobatis admonitus a nobilissimo, & honestissimarum artium scientia instructissimo Vido Mazenta I. V. C. Mediolanij nuper legi. quarum exemplum infra

infra ponam. Graeci etiam ſcriptores Ptolemaeus & Strabo eamdem Orthographiam ubiq; ſeruant. Nam Auſonium, & culpa librariorum conruptos Taciti, Stephani, & Plinij libros nihil moror. Praeterea in his, quas ſtatim addo, Mediolaniẽſibus inſcriptionibus, eſt coelum cum oe diphthongo. Iſthaec cum adſpiratione in medio dictionis. Delitiae, cum T.

In latere angulari priuatarum aedium e regione templi Diuae Mariae Scalae.

VENERI. ET
CHARIT
COELVM TERRA MARE.ET
DEVM. REMOTA
MENS VOSTRO COLITVR
FAVENTE. DVCTV
NOSTRIS ERGO DEAE
FAVETE VOTIS.
HIE. ARAB. ALVIS. F
V D

Ibidem.

POMONAE

SAC

HARAB. POMARIA

ISTHAEC. AMOENA

HESPERIDVM.

DONA. BEATA. SIBI

HOSPITIBVS QVE

FORE. DELITIAS

NVMINI. PO.

V. C.

Quae sequuntur exempla pertinent ad id, quod diximus: Mediolanium, non Mediolanum esse scribendum.

In hortis

In hortis Galleatij Vicecomitis.

V. S. D. M
MAXIMVS. MAXIMINVS
PRIMITIVVS. VI. VIR
MEDIOLANIENS
SIBI ....
....
....
....
....

Ibidem.

....
.... SVB. VR
SVIS. MEDIOLANIENS
RVFINAE. LIBERT
VERA
IN. A....
SECVNDAE
T. L. PAL
VXORI

Mediolanij.

SACRO

SVSCEPTO

SORTIBVS. SVBLATIS

C. GALLIO . . . . .

ATTICVS . . . .

. . . .

MEDIOLANIENS . . .

EIVSDEM

EIVSDEM

IOANNIS MARII Mattij Brixiani

BREVIS DEFENSIO SVAE SECVNDAE adnotationis ad eorum opinionem, qui contendunt, ex aliquot locis Fabij Quinctiliani certo ſtatui debere, libros Rhetoricorum ad Herennium a Cornificio fuiſſe conſcriptos.

CVM CARMINE IN FINE AD DIVAM Mariam Virginem matrem D. N

AD PERINLVSTREM OCTAVIANVM Gilijnum Patricium Alexandrinum.



Alexandriae Statiellorum,
Apud Herculem Quinctianum. M. D. IIC.
Bona ſuperiorum venia.

GVLIELMINI

SCHIAVINAE SACERDOTIS CANONICI MAX. TEMPLI ALEXANDRIAE.

ORTA grauis lis est inter duo lumina linguae,
Antiquo nomen quae tulit a latio.
Riccobonus stat pro una parte. sibiq. tuendam
Partem aliam Marius Mattius adripuit.
Disceptet caussam doctissimus: atq. uter horum
Conlimans uideat rectius hic, statuat.

IOANNES
Marius Mattius
PERINLVSTRI
I. V. C. OCTAVIANO
GILIINO
Patricio Alex.no
S. P. D

AGITVR circiter xiјx annus perinluſtris, & excellens Giliјne, cum editus eſt Ticini liber adnotationum mearum. in quarum ſecundo capite rationibus adlatis demõſtrabamus, eos, qui ex Fabio Quinctiliano conarentur probare, auctorem Rhetoricorum ad Herennium Cornificium eſſe, einſdem Fabiј teſtimoniјs ad muta dam ſententiam iure compelli poſſe. Cumq. orta aliј de rebus controuerſia inter Carolum Sigonium, & Antonium Riccobonum uiderem, in ſuis ſcriptis probationes illas meas ab Riccobono homine docto tentari. non (ut mihi certo perſuadeo) ullo laedendi mei ſtudio: ſed quod r tiones cauſſae, cui inſeruit, ſic poſtulare iudi e, neminem putaui fore, qui factum meum ſit damn u rus: ſi ego quoq. cauſſam ſemel ſuſceptam, & q m

probem,

probem, atq. opinionem priſtinam defendam ea moderatione, quam a natura acceptam moribus alui ſtudioſe per totam aetatem ſemper, & colui. Et ſane ſi alterum tueri glorioſum eſt, ſibi adeſſe cuiquam uitio dabitur? Di mentem iſtam hoſtibus. Nec mea ſcripta de me ita male merita ſunt, ut foetus meos habere caros non debeam. Mihi igitur hic adfui, negocium proprium, non alienum acturus. Quamquam ſi a Carolo Sigonio ſtem, agam cauſſam amiciſſimi hominis: quem & uiuum meritiſſimo atq. mutuo dilexi, & mortuum memoria colam ſempiterna. Committere etiam negligendo non debui, ut haec inueterata de Cornificio opinio mihi noceat. Quod certe contingeret, ſi tacitus rem tranſirem. homines enim paullo remiſſiore cura Riccoboni ſcripta legentes, nullo contradicente, rationes ibi apud eum lectas probarent: ſilentiumq. noſtrum in conſcientiam ducerent: & bona cauſſa deſerta, exiſtimaretur mala.
Reſpondeo igitur: & ad ea, quae ſunt in adnotatione mea pridem edita, quae hic quoq. deſcribitur, addo nonnullas alias rationes. in quibus ſi pro priſtina opinione propugno, oppugnare quemquam uideri non debeo: tametſi dum adiumenta mea confirmo, neceſſitas cauſſae coegit infirmare aliena. Haec autem commentatio mea cum carmine ad Sanctiſſimam Mariam matrem D. N. haud ita pridem a me conſcripto cupit in lucem prodire. ſed id concedere illi non audeo prius quam grauiſſimum ſapientis conſilij tui teſtimonium, quod plurimi facio, ad deſiderium illius intelligam adcedere. Grauioribus quidem cogitationibus diſtineri te, & ſublimiora adſpectantem inrerpretatione iuris & legum eſſe quam occupatiſſimum plane uideo. Sed ſingularis & praecipuus in me amor tuus, te libente, ſnbſurabitur, ſatis ſcio, magnitudini & multitudini negociorum tuorũ ocij aliquid, quod ſubſeciuis horis legendae ac perpendendae uigiliae huic meae libenter impendas. Habes quidem gentilium tuorum libros quos uoluas, qui doceant. habes exempla, quae imiteris. attamen hae meae chartae non impedient, immo fortaſſe etiam ad-
dent

dent currenti calcaria ad meditandos illorum honores, & sublimes gradus: ad quos sua eos uirtus multarum celebrata monimentis historiarum feliciter extulit. in quorum exemplis sic iam pridem impressa alte uestigia fixisti: ut qui in rationem uitae & studiorum tuorum adtentius intueantur, egregiam aemulationem, & expressum moribus tuis testentur proauum tuum Christophorum Giliinum Praesidem Magistratus Ordinarij Mediolanij. Qui tanta prudentia & adprobatione uniuersae prouinciae Mediolaniensis eum magistratum gessit: ut quos ad laudem cohortentur, illis hunc tamquam exemplum ad imitandum adhuc omnes huius imperij ciuitates citent, & proponant. Simoninum Giliinum auum tuum excellens Octauiane, militiae scientissimum, & Ducum Consiliarium egregie commendant annalium eius temporis testimonia. Ille honorifice functus ad Europae magnos Dominos legationibus multis, tam carus probatusq. Ducibus fuit, ut eorum liberalitate honoris ergo oppidum Gamalerium ad v. ab Alexandria lapidem dono in clientelam, quod nunc feudum adpellant, acceperit. Et quoniam ueram, solidam, propriamq. eam esse cuiusq. laudem iure semper iudicauisti, quam quisq. audit sibi & uirtuti suae tribui: nec satis existimasti ad gloriam, praeluxisse tibi claros Maiores tuos, tu ipse a prima aetate omnem uirtutem morum atq. naturae sic coluisti; ut quocumq. incubueris, mirifice excellueris. Ego magister olim tuus testis sum, cum tuae in me colendo, & amando (neq. enim id reticere debui) beneuolentiae, tum in discendo alacritatis, & diligentiae. numquam eguisti admonitionum stimulis. Satis per te paratus, & adtentus eras. Itaq. me in studio tuo plurimum amabam: & in te mihi suauissime blandiebar; qui talem alumnum haberem tali aduersus me beneuolentia & reuerentia, tali ingenio atq. industria praeditum. Iam tum optimae frugis omnibus spem dabas. quorum exspectationem non fefellisti. Namq. excellenti cum laude, & existimatione emersus ex humaniorum literarum studio, sic in iuris

cognitionem te demersisti, ut inde breui non inrigatus, & tinctus, sed totus largo flumine cognitionis humanarum & diuinarum legum perfusus & imbutus emerseris, nulla facta iactura politiorum literarum: quas a multis cum legum libris coire non posse existimatas tu adeo lepide & feliciter simul consociasti, ut amabiles toto foro siat formulae, & actiones tuae. In magistratuum honoribus administrandis, quos hic & Mediolanij, & in tota Mediolaniensi ditione adeptus es, & in aduocationibus clientium chorum pulcherrimũ uirtutum induxisti fidem, facilitatẽ, comitatem, prudentiam, grauitatem lepore conditam, adfabilitatem. In statuendo uero, & in sententijs ferendis, aut compositione tollendis controuersijs, acumen & dexteritatem adeo admirabilem ostendisti, ut hoc tam pulchro uirtutum comitatu facile uniuersis probaueris, te uere esse nepotem Iacobi aui tui, qui fuit a Secretis Francisci Sforziae II. Ducis Mediolanij: & fratris filium Camilli eius filij patrui tui. cuius singularem doctrinam & sapientiam testatur doctus & elegans latine conscriptus, qui circumfertur, liber. Neminem habuit Camillo Dux nec cariorem, nec instructiorem artibus ijs, quae ad administrationem Rerum pub. pertinent, prudentia scilicet & fide. Itaq. in foedere, quod Bononiae ictum est, constituta tandem inter Clementem Medicem Pont. Max. Karolum Austrium Imperatorem, & Venetos pace ann. CIↃ. IↃ. XXX. cum adnitentibus maxime, & id omnino contendentibus Venetis Franciscus Sforzia in patrium regnum est restitutus enituit uirtus Camilli huius: sine cuius consilio in omni administratione publica Dux numquam quidquam statuit. Idem postea missus ab eodem Sforzia in Hispaniam legatus ad Karolum iam dictum Imperatorem, munus obiuit (ut nihil aliud addam) ex mittentis sententia. Demum a Clemente Pont. Max. in purpuratorum Cardinalium conlegium commendatione meritorum, & nobilissimarum uirtutum ultro cooptatus fuit. etsi laetitia haec per inuidiam & scelus improborum quorumdam,

dam alienam gloriam infamiam ignominiamq. suam existimantium diuturna illi esse non potuit. Nam dum ex Hispania functus honorifice magnificeq. legationis munere, Romam redit, in Sicilia ueneno sublatus interijt, uir plane singularis. qui ijs etiam, qui ab eo erant propter aemulationem alieniore animo, post obitum sui desiderium reliquit. Nisi Paullus Iouius in libro de uiris doctrina inlustribus honorificam de eo mentionem haberet, liberius hic mihi latus euagandi campus dabatur. Quamquam illius uirtus aliorum quoq. multorum testificatione satis est nota. teq. meminisse ea confido, quae tibi olim adolescenti ego de tuis gentilibus, praetermissis illis, quos plurimos legebam artem militarem cum summa laude tractauisse (Quorsum enim militarium uirorum commemoratione auribus obstreperem hominis non Pallada, sed Mineruam iam tum spectantis?) meminisse (inquam) te confido, me solitum esse tibi praedicare inter eos, quos supra dixi, atq. alios etiam, de tribus Gilijnis uno Archiepiscopo Genuensi Ottone. altero nomine & cognomine Gilijno Episcopo Comacensi. tertio Episcopo Bobiensi. ut sileam mihi consilium non esse stemmata nobilissimae familiae tuae hic spectanda exponere. quae res propter gentilium numerosam prolem plenius uolumen desideraret. Tantum in praesentia te hortor, ut parentis tui Thomae exemplum, & rationem, quam tota uita in administratione negociorum cum uniuersorum, tum maxime publicorum admirabilem adhibuit, sequaris sedulo, quod facis, & imitatione exprimas & repraesentes. Vbi, si quis alius, ille cunctis ciuibus suum in Rempublicum studium, & pietatem luculenter probauit. Sed ut quod superius dixi, iterum hic repetam, & epistulam uerissima praedicatione meae in te propensissimae uoluntatis concludam, in magno numero eorum, qui ex gymnasio meo prodiere clari & eximijs artibus excellentes uiri, tibi persuade, & pro certo habe, te praecipue esse, in quo, supra quam scribendo adsequi possim, mihi blandiar

& placeam. Vale. & quam nactus es Spartam, eam ne desere. id est, me, quod facis, constanter, & mutuo ama. Dat. Alexandriae v. idus April. M. D. IIC

EX LIBRO ADNOTATIONVM Ioannis Marij Mattij. Cap. II

LIBROS RHETORICORVM ad Herennium non esse Cornificij.

QVI libros Rhetoricorum ad Herennium Cornificio adscribunt, quo in numero sunt magni hac tempestate nominis uiri, ex aliquot locis Fabij Quinctiliani, quo auctore ipsi ad ita sentiendum moti sunt, facile conuincuntur. Namq. lib. v. cap. x. in principio sic scribit.

„ *Genus quoddam Enthymematis a Cornificio adpellari*
„ *Contrarium.*

At ubi id apud auctorem horum Rhetoricorum legitur? Eiusdem Fabij lib. ix. cap. iij. haec uerba sunt, ubi de figuris agit.

„ *Haec omnia copiosius sunt exsecuti, qui non ut partem*
„ *operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi de-*
„ *dicauerunt. Sicut Caecilius, Dionysius, Rutilius, Cor-*
„ *nificius, Visellius, alijq. non pauci.*

At auctor Rhetoricorum ad Herennium de tota arte Rhetorica, non de figuris tantum tractat. quod fe-

ciſſe Cornificium ſcribit Fabius. quodq. feciſſe Rutilium omnes ſcimus. Idem ibidem paullo poſt.

„ *Quaedam omnino non ſunt figurae, ſicut Orao, Dinu-*
„ *meratio, Circumſcriptio, ſiue hoc nomine ſignificatur*
„ *comprehenſa breuiter ſententia, ſiue finitio. nam &*
„ *haec Cornificius atq. Rutilius ſchemata dictionis putant.*

Atqui in toto eo opere, quod Cornificio vindicant, de his figuris ne verbum quidem.

Idem Fab. ibidem.

„ *Adicit his Caecilius* περίφρασιν. *de qua dixi. Corni-*
„ *ficius interrogationem, Ratiocinationem, Subiectionem,*
„ *Tranſlationem, Obcultationem.*

At ubi de Obcultatione in eo toto libro?

Idem paullo ſupra.

„ *Equidem tradi inter praecepta miror: eorumq. exempla*
„ *uitandi potius, quam imitandi gratia pono. Amari iu-*
„ *cundum eſt, ſi curetur, nequid inſit amari. Auium dulcedo*
„ *ad auium ducit. & apud Ouidium ludentem. Cur ego non*
„ *dicam Furia te furiam? Cornificius hanc Traductionem*
„ *uocat, uidelicet alterius intellectus ad alterum.*

In libro quidem quarto operis ad Herēnium in Traductione exemplum illud legitur. Amari iucundum eſt, ſi curetur, ne quid inſit amari. Cetera uero nequaquam. Immo in figura, quam Agnominationem ille auctor uocat, exemplum illud ponitur. *Auium dulcedo ducit ad auium*. Vt qui ſuſpenſas habent uniuerſas ſuas rationes ex hoc loco, probaturi ex eo, opus illud eſſe Cornificij, tenui admodum, atq. adeo nullo filo pendeant, uel etiam ſuo ipſi gladio cōfodiantur. Qui uero eoſdem libros Ciceroni adſcribunt, inperitiam ſuam, cū hebete iudicio oſtendunt: nec uident, quam male de Cicerone mereantur, opus illud tanto uiro indigniſſimum illi adtribuentes.

IOANNIS

IOANNIS MARII MATTII

DEFENSIO ADNOTATIONIS SVAE secundae contra eorum opinionem, qui ex aliquot locis Quinctiliani contendunt Rhetorica ad Herennium ab Cornificio esse certo agnoscenda auctore.

MAgni in literis patrum aetate & nostra uiri libros Rhetoricorum ad Herennium sine ulla dubitatione Cornificio adiudicant, adducti aliquot locis Fabij Quinctiliani. Pugnauit acerrime in hac parte nuper Antonius Riccobonus, homo egregie nobilibus artibus excultus. Ego pridem tradidi, infirma esse ad obtinendum, quod uolunt, adiumenta ex Fabio petita. neq. adhuc de sententia decedo. nixusq. eodem Fabio auctore dico, certo, ut illi adfirmant, statui id non posse. Atq., ut tota caussa apertius cognoscatur, descripta prius hic uetere nostra adnotatione, conlatisq. locis utriusq. Fabij & auctoris Rhetoricorum istorum, in quibus quasi firmissimis fundamentis Riccobonus omnem spem obtinendae caussae inaedificat, etiam Riccoboni uerba adponimus. statimq. subiungimus ad singu-

las eius rationes nostras: quibus pristinam nostram confirmari opinionem existimamus. Vtri rectius senserint, iudicabunt docti.

Ex quindecim rebus, quibus Riccobonus in libro, quem Iudicium secundum, & in eo, quem Defensorem inscribit, nititur probare, librum Rhetoricorum ad Herennium esse Cornificij. Vna est figura Traductio. de qua ipsum audiamus.

Ex Riccoboni Defensore.

Pag. 139. & inde.

1. „ *Non una figura Traductio, sed res quindecim a me col-* „ *lectae hoc effecerunt. &c. Me uero, ut ita scriberem,* „ *impulit, quod scriptum in Rhetoricis ita uidebam. Tra-* „ *ductio est, cum idem uerbum modo ponitur in hac, modo* „ *in altera re, hoc modo. Amari iucundum est, Si cure-* „ *tur, ne quid insit amari. Apud Quinctilianum uero hoc* „ *pacto. Aliter quoq. uoces, aut in eadem, aut in diuersa* „ *significatione ponuntur. ut Amari iucundum est, si cure-* „ *tur, nequid insit amari. Cornificius hanc Traductionem* „ *uocat, uidelicet alterius intellectus ad alterum.*

& paullo post.

„ *In eo libro scripsi, Quinctilianum res quindecim de Cor-* „ *nificio attulisse, quae omnes de auctore ad Herennium* „ *uerae essent. nihilq. tribuisse Cornificio, quod in Rhetoricis* „ *non Herennij, ut tu loqueris, sed ad Herennium non inue-* „ *niretur. etc. Audi. postquam uis, & cognosce, uel po-* „ *tius, quod cognoseis, confitere, non minus ex alijs, quam* „ *ex tua figura Traductione colligi, ea Rhetorica certo esse* „ *Cornificij. Age enim. Declarauit auctor ad Herennium* „ *Traductionem, Quinctilianus eam declarationem tribuit* „ *Cornificio, unde colligis, scriptorem ad Herennium esse* „ *Cornificium.*

In his uerbis pluscula sunt Sigonij, quae tamen Riccoboni sunt censenda. quoniam si a Sigonio essent praetermissa, Riccobonus eadem fuerat adlaturus, si quidem caussam suam uoluisset firmare. Nos ad uniuersa sic respondemus.

Si sola legantur & pendantur, quae ab Sigonio & Riccobono ex Fabio, atq. ex incerto auctore prolata sunt

uerba,

uerba, cadam ego statim caussa non solum non perorata, sed ne inchoata quidem. quod ne adcidat, fideliter loca utriusq. Fabij, & huius incerti auctoris huc transferam. Fabius igitur lib. jx. cap. iij. in figura Ανταναχλασει (quam tamen P. Rutilius, unde Quinctilianus eam accepit, Ανάκλασιν. uocat) sic scribit.

" *Cui confinis est* Ανταναάκλασις. *eiusdem uerbi contraria*
" *significatio. Cum Proculeius quaereretur de filio, quod*
" *is mortem suam exspectaret, & ille dixisset, se uero non*
" *exspectare, Immo, inquit, rogo exspectes. Non ex eodem,*
" *sed diuerso uicinum accipitur, cum supplicio adficiendum dicas, quem supplicatione dignum iudicaueris.*
" *Aliter quoq. uoces aut eaedem in diuersa significatione*
" *ponuntur, aut productione tantum, uel correptione mutatae, quod etiam in iocis frigidum. Equidem tradi inter praecepta miror. eorumq. exempla uitandi potius,*
" *quam imitandi gratia pono. Amari iucundum est, si curetur, nequid insit amari. Auium dulcedo ad auium ducit. & apud Ouidium ludentem. Cur ego non dicam Furia te furiam? Cornificius hanc Traductionem uocat, uidelicet alterius intellectus ad alterum.*

Hactenus Fabius. uerba uero auctoris ad Herennium haec sunt.

" *Traductio est, quae facit, ut, cum idem uerbum crebrius*
" *ponatur, non modo non offendat animū, sed etiam concinniorem orationem reddat. hoc pacto. Qui nihil habet in uita iucundius uita, is cum uirtute uitam non potest colere. Item. Eum tu hominem adpellas, qui si fuißet homo, numquam tam crudeliter uitam hominis petijsset. At erat inimicus. Ergo inimicum sic ulcisci uoluit, ut ipse sibi reperiretur inimicus? Item. Diuitias sine diuitum esse: tu uero uirtutem praefer diuitijs. Nam si uoles diuitias cum uirtute comparare, uix satis idoneae tibi uidebuntur diuitiae, quae uirtutis pedisequae sint.*
" *Ex eodem genere exornationis est, cum idem uerbum modo ponitur in hac, modo in altera re, hoc modo. Cur eam rē tam studiose curas, quae multas tibi dabit curas?*
" *Item, Amari iucundum est, si curetur, nequid insit amari.*

„ *Item, Veniam ad uos, si mihi Senatus det ueniam. In his*
„ *quattuor generibus exornat. &c.*

Riccobonus & ceteri, qui ab hac parte stant (neq. enim hodie aut here, ut diximus, haec mota est controuersia) sic conligunt. Quinctilianus figuram hanc, Amari iucundum est, si curetur, nequid insit amari, a Cornificio traductionem adpellari tradit. Est autem sic apud hunc auctorem librorum ad Herennium. Ergo Cornificius est horum librorum auctor.

Duobus modis hic respondeo. Primo concedere me, Cornificium confecisse Rhetorica, in quibus sic scripserit, ut Fabius tradit. negare tamen, haec Rhetorica esse ea. quippe multa Fabius scribit a Cornificio tradita, quae tamen in his libris non leguntur. ergo haec Rhetorica Cornificij non sunt. Quae autem sint ea, quae in his libris incerti auctoris non legantur, quae Cornificio Fabius tribuit, suo quaeque loco in his, quae deinceps dicentur, demonstrabimus.

Altero modo eludi, atq. adeo reprimi posse aduersariorum argumentum arbitror sic. Fabius eodem loco dicit, hanc figuram, Auium dulcedo ad auium ducit, a Cornificio Traductionem adpellari. Hoc autem in hoc libro non fit, neque enim in Traductione hic incertus auctor meminit huius exempli, Auium dulcedo ad auium ducit. Ergo horum auctor Rhetoricorum ad Herennium non est Cornificius. Immo auctor hic incertus hanc figuram, Auium dulcedo ad auium ducit, Agnominationem, non Traductionem facit. Quid hic dicent Cornificiani? Certe non aequi tãtum indices, quos semper adpello, sed paullo etiam in caussam Cornificianorum propẽsiores, quiq. eosdem sartos & tectos uelint, aut amplius pronunciabunt, aut iuris idem Attij quod Titij statuent.

Quid? quod Fabius, cum dicit, Cornificium adpellare hanc figuram Traductionem, sic exponit „ *Videlicet alterius intellectus ad alterum*, id est, (ut ego

uerbis

uerbis eiusdem Fabij interpretor) eiusdem uerbi contraria significatio: & eaedem uoces in diuersa significatione positae, aut productione tantum, uel correptione mutatae. At hic auctor multo magis Traductionem facit, cum eaedem uoces crebrius repetitae idem significant, nō autē Contrarium. Quod adparet illis exemplis, quae subiungit.

" *Qui nihil habet in uita iucundius uita, is cum uirtute uitam non potest colere. Item. Eum tu hominem adpellas, qui si fuisset homo, numquam tam crudeliter uitam hominis petijsset. At erat inimicus. Ergo inimicum sic ulcisci uoluit, ut ipse sibi reperiretur inimicus? Item. Diuitias sine diuitum esse: tu uero uirtutem praefer diuitijs. Nam si uoles diuitias cum uirtute comparare, uix satis idoneae tibi uidebuntur diuitiae, quae uirtutis pedisequae sint.*

Cum igitur longe alia sit Traductio haec incerti auctoris ab illa, quam Fabius Cornificio adtribuit, non ausim ego certe, puto, nec quemquam alium ausurum adfirmare, conligi ex hac figura Traductione, ea Rhetorica certo esse Cornificij. immo in multo diuersissimam sententiam ab hac Traductione traducor.

Sed quoniam dictum est, quae exempla, & quas rationes tribuat Fabius Traductioni Cornificianae, ea esse Agnominationis apud auctorem Rhetoricorum ad Herennium, ne forte quis me haec putet somniasse, uerba illius audiantur.

" *Agnominatio est, cum ad idem uerbum, & idem nomen adceditur commutatione unius literae, aut literarum, syllabae aut syllabarum. aut ad res dissimiles similia uerba adcommodantur. Ea multis & uarijs rationibus conficitur. Adtenuatione, aut complexione eiusdem literae, sic. Hic, qui se magnifice iactat, atq. ostentat, uenijt a te, antequam Romam uenit. Ex Contrario. Hic quos homines alea uincit, eos ferro statim uincit. Productione eiusdem literae hoc modo. Hunc auium dulcedo ducit ad auium. Breuitate eiusdem literae, hoc modo.*

„ *Hic tametsi uidetur honoris cupidus, tamen non tantum*
„ *curiam diligit, quam Curiam. Addendis literis hoc pa-*
„ *cto. Hic sibi posset temperare, nisi amori mallet obtem-*
„ *perare. Demendis literis sic. Silenones tamquam leo-*
„ *nes uitasset, uitae se tradidisset. Transferendis literis,*
„ *sic. Videte iudices, utrum homini nauo, an uano cre-*
„ *dere malitis. Item. Nolo esse laudator, ne uidear adu-*
„ *lator.*

Addam etiam hoc, deinde finem huic parti imponam. Auctor ad Herennium fingit ex se ipse omnia figurarum omnium exempla. At Fabius testatur uersum illum Ouidij, Cur ego non dicam Furia te furiam? apud Cornificium esse. quod haud scio an sit ad infringendam aduersariorum caussam firmissimum argumentum.

2. „ *Auctor (inquit Riccobonus) ad Herennium scripsit*
„ *integrum librum de Elocutione qui est quartus Rhetori-*
„ *corum. Quinctilianus lib. 9. ait. Haec omnia de Elo-*
„ *cutione, copiosius est exsecutus Cornificius. qui proprie*
„ *librum huic operi dedicauit.*

Est uero sic apud Fabium? immo sic, ut ego diserte describam.

„ *Haec omnia copiosius sunt exsecuti, qui non ut partem*
„ *operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi de-*
„ *dicauerunt, sicut Caecilius, Dionysius, Rutilius, Cornifi-*
„ *cius, Visellius, alijq. non pauci.*

Quorum uerborum sensus hic est. Copiosius hi de figuris tractauerunt, quoniam in hac parte Rhetorices tantum occupati fuerunt. solum in figuris tradendis operam suam conlocauerunt. reliquas Rhetoricae partes non adtigerunt. Id autem ita esse probat liber P. Rutilii. ubi tantum de figuris agitur. Idem fecisse Cornificium significat Fabius. At hic incertus auctor de tota arte Rhetorica, non de figuris solis tractat. Quod si intelligamus, Fabium hoc sentire, Cornificium ex 4 libris quartum integrum Elocutioni dedicasse, alijs tribus libris in reliquis Rhetoricae partibus consumptis, non ridiculus sit

Fabius?

Fabius? quasi non & ipse idem fecerit. qui librum integrum, immo libros integros 8. & 9. Elocutioni dedicauit?

3. „ *Ille (pergit Riccobonus) inter figuras uerborum numerat Interrogationem. Hic eodem libro testatur Cornificium numerasse.*

4. „ *Ille nominat inter easdem figuras Ratiocinationem. Hic dicit etiam Cornificium nominasse.*

5. „ *Ille Membrum figuris uerborum aggregat. Hic quoq. lib. 9. tradit Cornificium aggregasse.*

6. „ *Ille Articulum figuram uerborum facit. Hic affirmat Cornificium fecisse.*

7. „ *Ille inter easdem figuras uult esse Subiectionem. Hic aperit Cornificium uoluisse.*

8. „ *Ille simul Occupationem collocat. Hic declarat Cornificium collocasse.*

9. „ *Ille inter eas recipit Interpretationem. Hic exponit Cornificium collocasse.*

10. „ *Ille in ipsis commemorat Conclusionem. Hic ostendit Cornificium commemorasse.*

11. „ *Ille in iisdem collocauit Translationem. Hic meminit Cornificium collocasse.*

Ego ad nouem has res Interrogationem, Ratiocinationem, Membrum, Articulum, Subiectionem, Occupationem, Interpretationem, Conclusionem, & Translationem in uniuersum sic respondeo: σῦκα μερίζειν id esse, tantulam, idest unam rem in tot partes, id est in 9. res secare: quod faciunt parci, ne dicam an sordidi. Atq. etsi de consilio cuiusquam iudicare non debeo, tamen existimo Riccobonum conantem probare, Cornificium fuisse auctorem horum Rhetoricorum, maluisse dicere, se ex quindecim rebus, quam locis id facere, quo, Fabij loco uno in res nouem diffecto caussam faceret, ostentatis adiumentis tot probationum, speciosiorem & plausibiliorem. & numeris addendis Soriten Chrysippi tumidiorem, non tamen pleniorem aut ampliorem redderet. alioqui minore opera, minore impendio

chartae

chartae atq. Chalcanthi uniuersa haec absolui poterant. Sed recitemus nos uerba Fabij ex cap. 3. lib. 9.
„ *Adicit his Cecilius* . περίφρασιν . *de qua dixi* .
„ *Cornificius Interrogationem, Ratiocinationem, Subie-*
„ *ctionem, Translationem, Occultationem, praeterea*
„ *Sententiam, Membrnm, Articulum, Interpretatio-*
„ *nem, Conclusionem* .

Verba haec Fabij aperte ostendunt, locum unum esse. Sed sint res nouem. Etiamne vt caussae seruiamus, studio uincendi fucum faciemus? & aequitatem susq. deq. habentes scripta antiquorum ex libidine peruertemus? Cur, ubi est Occultatio, fit Occupatio? expunctaq. uera & iusta scriptura inducitur falsa & adulterina? Inter bonos bene agier, admonemur uetere iuris formula. Vincamus uirtute non artibus, in certamine praesertim nobili & generoso. ubi etiam uinci lucro est.

Ac fortasse uelocitas percurrendi, oculos raptim legentis fefellit. & occupata pluribus cogitationibus mens pro Occultationem Occupationem accepit. malo enim de tali uiro haec suspicari. attamen quos ego legi libros, uniuersi Occultationem, habent. de qua Occultatione quando hic auctor nusquam egit (egit autem Cornificius, id testante Fabio) conuincitur, haec Rhetorica a Cornificio non fuisse conscripta.

Quod ad reliquas octo pertinet Interrogationem, Ratiocinationem, Membrum, Articulum, Subiectionem, Interpretationem, Conclusionem, & Translationem, aduersarij sic pugnant.

Scribit Fabius, has omnes figuras tractatas esse a Cornificio. Reperiuntur autem uniuersae apud hunc auctorem. Ergo is auctor est Cornificius.

Respondetur. Si hic auctor de his figuris tradidit, fecit, quod omittere omnino non potuit sine nota insignis imperitiae. pleraeq. enim eae figurae in ornatu orationis principem locum tenent. Itaq. Cicero (neq. enim graecos nominare est necesse, quando de

uerbis,

uerbis, quibus a nostris adpellatae sint eae figurae, sermo est) cum alibi, tum in Oratore quoties de Articulo, Membro, & Translatione agit? Itaq. si adfirmemus, hunc librum esse Cornificij, quod ibi tractatas esse eas figuras legimus, quas a Cornificio traditas scribit Fabius, eodem argumento, Orator Ciceronis erit Cornificij, quoniam ibi has figuras tractatas & quidem saepius uidemus. Iuuant igitur & hae octo res Cornificianos ne hilum quidem. At Fabius sic scripsit. At ego hic adiutor defensorque sum caussae meae, non Fabij patronus, aut etiam interpres.

12. „ *Ille* (inquit Riccobonus) *Sententiam &*
13. „ *Definitionem ponit inter Schemata* λέξεως. *Huius uerba*
„ *haec sunt. Cornificius atq. Rutilius Sententiam & De-*
„ *finitionem schemata* λέξεως *putant.*

Respondeo, ductum esse in fraudem Riccobonum a memoria, non sic scripturum profecto, Si Fabij locum, cum haec commentaretur, consuluisset. Qui locus sic habet lib. 9. cap. 3.

„ *Quaedam omnino non sunt figurae, sicut Ordo, Dinume-*
„ *ratio, Circumscriptio, siue hoc nomine significatur com-*
„ *prehensa breuiter sententia, siue finitio. Nam & haec*
„ *Cornificius atq. Rutilius Schemata* λέξεως *putant.*

in quibus Fabij uerbis duae illae uoces sententia & finitio (finitio inquam, non Definitio, ut deceptus a memoria Riccobonus perperam legit) non sunt figurarum nomina. sed exponunt, & quasi definiunt, quid sit Circumscriptio, Quod licet ex ipsis Fabij uerbis adparet satis, tamen elucet etiam melius ex Cicerone pluribus locis. sed maxime in Oratore, quando de Circumscriptione loquitur.

„ *Sed* (inquit) *uniuersa comprehensio, & species oratio-*
„ *nis clausa, & terminata est.*

& paullo post.

„ *Cadere tantum numerose oportere, terminariq. senten-*
„ *tiam.*

Ibidem.

„ Illa

„ *Illa circumscriptione ambituq. ut tamquam in orbe con-*
„ *clusa currat oratio, quod insistat in singulis perfectis,*
„ *absolutisq. sententiis.*

Atq. (quod rem iuuat) ut sileam, paullo post Fabium Sententiam soli Cornificio uindicare, illis uerbis supracitatis „ *Cornificius Interrogationem &c. praeterea Sententiam, Membrum &c.* non facturum si prius eamdem utriq. Rutilio & Cornificio tribuisset, ut (inquam) illud sileam, quo pacto hoc quamuis in adnotatione nostra etiam dictum, silere & praeterire possim sine certo praeuaricationis crimine? Fabius, ut ex eius uerbis prius adlatis uidimus, aperte testatur, Cornificium inter figuras ponere Ordinem, Dinumerationem, & Circumscriptionem. At apud hunc incertum auctorem ubi haec leguntur? Vt solo hoc testimonio cogantur uelint nolint, Coruificiani fateri, nequaquam hos libros a Cornificio conscriptos fuisse. neq. omnino uerū esse, quod scribunt
„ *Nihil tribuisse Fabium Cornificio, quod in Rhetoricis ad*
„ *Herennium non inueniretur.*

14. „ *Ille* (scribit Riccob.) *tradit Contrarium idem fere esse,*
„ *quod Contentio est, et contrarium esse, quod ex rebus di-*
„ *uersis duabus alteram breuiter & facile confirmat. Hic*
„ *scribit lib.* 5. *Enthimema, quo pugna constat, Contrari-*
„ *um a Cornificio appellari.*

Ego uero ex hoc Fabij loco, qui integer a me ponetur, dico & praedico, quaerendum esse alium Cornificium, cui uindicetur incerti auctoris liber: quando nullae nindictae isti possunt adserere. Verba Fabij lib. v. cap. x. ubi agit de argumentis, sunt haec.
„ *Nam Enthymema &c. Vnum intellectum habet, quo*
„ *omnia mente concepta significat, Sed nunc de eo non*
„ *loquimur: Alternm, quo sententiam cum ratione: Ter-*
„ *tium, quo certam quamdam argumenti conclusionem*
„ *uel ex consequentibus, uel ex repugnantibus (signifi-*
„ *cat). quamquam de hoc parum conuenit. Sunt enim,*
„ *qui illud prius Epichirema dicant. pluresq. inuenias in*
„ *ea opinione, ut id demum quo pugna constat, Enthyme-*

ma

„ ma accipi uelint. & ideo illud Cornificius Contrarium
„ adpellat.

In uerba Quinctiliani nunc nihil inquiro, nec interpretem ago. Sed proferatur mihi locus ex his libris, quos Dijs atq. hominibus inuitis Cornificio adscribunt, ubi legatur, Enthymema, quo pugna constat, Contrarium adpellari: tunc stet, qui proferat, coronatus Olympia. tunc manum tollo. Nam quae de Contrario semel, & de Contentione bis agit hic auctor lib. 4., pertinent ea ad figuras uerborum & sententiarum, non ad argumenta. Describere libet, quoniam mirifice ad rem faciunt, uerba Cic. ex Topicis. quibus lectis Cornificiani etiam atq. etiam uideãt, quisnam primus Enthymematis quoddam genus Contrarium dixerit.

„ Ex hoc illa Rhetorum sunt ex Contrarijs conclusa, quae
„ ipsi Enthymemata adpellant. non quod non omnis sen-
„ tentia proprio nomine Enthymema dicitur, sed ut Home-
„ rus propter excellentiam commune poetarum nomen
„ ecfecit apud Graecos suum, sic cum omnis sententia En-
„ thymema dicatur, quia uidetur ea, quae ex Contrarijs
„ conficitur, acutissima, sola proprie commune nomen
„ possidet. eius generis haec sunt. Hunc metuere: alterum
„ in metu non ponere. Eam, quam nihil adcusas, damnas:
„ bene quam meritam esse autumas, dicis male mereri. Id
„ quod scis, prodest nihil: id quod nescis, obest. Hoc disse-
„ rendi genus adtingit omnino uestras quoq. in respondendo
„ disputationes, sed Philosophorum magis, quibus est cum
„ oratoribus illa ex repugnantibus sententijs communis
„ conclusio. quae a Dialecticis, tertius modus, a Rheto-
„ ribus Enthymema nuncupatur.

15. „ Auctor denique (haec est ultima res Riccoboni) ad He-
„ rennium, praecipit Licentiam esse, cum apud eos, quos
„ aut uereri, aut metuere debemus, tamen aliquid pro iure
„ nostro dicimus. Quinctiliani uerba sunt. Idem dictum
„ sit de Oratione libera, quam Cornificius Licentiam uo-
„ cat. Graeci παῤῥησίαν. Nonne certo certius apparet
„ (Si Quinctiliano fides habenda est, ut certe est) Rhe-

„ *torica ad Herennium esse Cornificij?*

Respondeo ego. Quod ad Fabium pertinet, telum adripio, & retorqueo, sic. Fabius scribit Enthymema, quo pugna constat, adpellari a Cornificio Contrarium. Id ab hoc auctore Rhetoricorum ad Herennium non fit. Item. Fabius scribit Ordinem, Dinumerationem, Circumscriptionem, Occultationem inter figuras adnumerari a Cornificio. Id ab hoc auctore Rhetoricorum ad Herennium non fit. Ergo certo certius adparet, Si Quinctiliano fides habenda est, ut certe est, (sic enim loquitur Riccobonus) Rhetorica ad Herennium non esse Cornificij. Hoc, quod sequitur, non dico ego (tueri enim & laudare scriptorem optime meritum, non criminari debeo) sed tamen fingamus aliquem sic dicere. Fabius scribit, tractatas esse a P. Rutilio figuras ἠθοποιΐαν, χαρακτηρισμὸν, Dinumerationem, Circumscriptionem. quae tamen apud P. Rutilium nõ reperiuntur, apud quem si ceterae, quas Fabius Rutilio tribuit, leguntur, cur non & hae? Complexionem argumenti, quae fortasse duplex esse potest, ego non infero. Concludat, cui libeat. At fortasse Fabius alium Rutilium citat. At, respondeo ego, fortasse, ac ne fortasse quidem Fabius alium ab hoc incerto auctore Cornificium citat. a quo postea hic incertus didicerit, huic figurae Licentiae nomen dare. Certe agens de hac figura nullis indicijs significat, a se primo Licentiam adpellatam. immo iam illi tale nomen fuisse aperte esse ostendit, sic scribens.

„ *Ergo haec exornatio, cui nomen Licentiae est.*

dicturus profecto, cui nos Licentiae nomẽ dedimus: si huius ipse uerbi auctor fuisset. quod quidem alibi fecit. nimirum libro primo his uerbis.

„ *Nisi quia de Insinuatione noua excogitauimus. quod*
„ *eam soli praeter ceteros in tria tempora diuisimus.*

Atq. nemo est in scriptis Rhetoricis Ciceronis uel mediocriter uersatus, quin sciat, multo maximam partem illarum figurarum, quae apud hunc incer-

tum

tum auctorem ſunt, ijſdem nominibus a Cicerone prius eſſe inſignitas. quas perſequi nunc occupato homini non eſt ocium nec conſilium. Vt neceſſe ſit fateri, ea nomina non ab Cornificio, ſed multo ante eum natum, facta fuiſſe. Atq. ut alia quoq. adiumenta addamus, cum Fabius ſcribat ſic.

„ *Quod idem dictum ſit de Oratione libera, quam Cornifi-*
„ *cius Licentiam uocat. Graeci παρρησίαν.*

Cumq. apud Iulium Rufinianum legam,

„ *Parrheſia oratio libera, quam Cornificius Licentiam*
„ *uocat.*

uenit in mentem ſuſpicari, magnam partem horum uerborum ab libro Rufiniani eſſe in librum Fabij translatam. Scilicet, quod fortaſſe aliquis (quod fit frequenter ab ijs, qui loca auctorum ex alijs ſcriptoribus uel exponunt, uel aliquo modo iuuant) in orae area libri Fabij uerba Rufiniani, quae ibi quadrarēt, adſcripſerit, quae poſtea imperitus Librarius de margine in ordinem uerborum Fabij tranſtulerit. Quod quidem animaduerſum eſt a doctis noſtra aetate hominibus, libris Ciceronis contigiſſe pluribus in locis. Ad quam cenſuram fortaſſe uocari poſſunt etiam uerba haec in figura Contrarium.

„ *Contrarium idem fere eſt, quod contentio.*

Certe cum bis agat idem auctor de Figura Contentione, neq. tamen faciat mentionē adfinitatis, quae ſit illi cum Contrario, cumq. nullam adferat rationē, quare Contrarium idem fere ſit, quod Contentio, ſi etiam ordinem, quem in reliquis omnibus figuris exponendis ſeruat hic auctor, acres iudices animaduertant, periculum eſt, ne cenſeant, ea omnia expungenda, ut de margine in librum tranſcripta. Ego autem interim ne cenſeo quidem. tantum abeſt, ut iudicem. doctiorum ſententiam audiam, & ſequar.

Ergo cum ſuſpectus ſit locus Fabij: cum non conſtet hunc auctorem ipſum huic figurae nomen dediſſe Licentiae: cum declaratum ſit, alium ab hoc auctore horum Rhetoricorum a Fabio Cornificium ſignifi-

cari, a quo hic incertus auctor nomen figurae Licentiae acceperit, cum Fabius tribuat multa Cornificio, quae in hoc auctore nõ leguntur : dicimus, neq. hanc quinctamdecimam Riccoboni rem quidquam ecficere, propter quod de opinione pristina discedere nos debeamus. Et quamquã tot tantisq. rationibus, quae firmissimae sunt, fulcitur caussa adnotationis nostrae, tamen, quoniam sua sponso sponsa pulchra est, suumq. coruo ouum placet, cum mihi sensum retineo meum, cuiq. relinquo suum. qui si diiudicari controuersiam uelint, ego uero uel ipsos aduersarios iudices sumo. illis ipsis disceptatoribus utar. sin ab sua ipsi liberali uerecundia non impetrant, ut iudicandi de se partes suscipiant, ego nihil aliud contendo, nisi ut iudicent docti. quibus spero si nihil aliud, certe modestiam nostrae adnotationis, & totius huius disputationis commendatam, & probatam fore.

Alius est Fabij locus adprime a nobis faciens. sed ille in praesentia non succurit.

D. O. M

D. O. M

DIVAE VIRGINI MARIAE AD OPPIDVM VICVM in Liguribus Epanterijs inaudita miracula edenti supplex carmen.

IOANNIS MARII MATTII BRIXIANI.

AD NOBILISSIMVM IOANNEM Baptistam Scarampum.

VIRGO decus caeli, praesens tutela piorum,
Ecquid de superis oculo nos adspicis aequo
Sedibus? & nostrae tangit te cura salutis?
Sed quid ego haec posco, quasi nescius, aut dubius sim?
Quin potius meditor, tibi quo modulamine laudes
Diua canam, referens magno pro munere grates?
Cuius ope, & patrocinio Rex magnus Olympi
Serae plura meae largitur lustra senectae
Munificus: quo tanta, & tot miracula rerum
Possim animo, manibusq;, oculisq; fidelibus ipse

Contra-

Contractare meis? Quantis, Deus optime, donis
Millia multa hominum cumulantur? ab usque supremis
Finibus Ausoniae? quam multae huc undiq; gentes
Tacti animum adflatu Diuini numinis, vna
Certatim coeunt? haec ut surgentia caelo
Templa colant: numenq; humiles reuerenter adorent
Mirandum Maria alma tuum? grauibusq; leuati
Subsidio praesente tuo, morbis, pia uota
Soluant? & cunctis meritum testentur honorem?
Ecce tua currunt ope claudi. Lumine cassis
Iampridem, abstersa nunc omnia nube patescunt.
Torrida contractis cui laeua aut dextera neruis
Obriguit, redeunt ad pristina munia vires.
Redditur auditus surdis. muta ora loquuntur.
Calculus in tenuem subito resolutus arenam
Eicitur. fracti soli descunt firmiter arctus.
Hydropi haud sitiuntur aquae. cui corpore toto
Nulla suum officium praestabant membra, repente
Virtus cognatos antiqua recurrit in artus.
Quin (numquam ante audita loquor) vix bina iuuentae
Lustra supergressi pueri, innuptaeq; puellae
Millia multa inter matronarum, atq; uirorum,
Magna doctorum patrum admirante corona,
Grandia uerba serunt, suadentes corda salubri
Laetitia ad celsum mortalia tollere caelum,
Cum grauium rerum, & uerborum pondere tanto,
Vt prisci inuideant Gracchi, prisciq; Cethegi.
Vidi oculis, uidi ipse meis: his auribus hausi,
Contremuisse truces animos: odia aspera blando
Cessisse eloquio. domitisq; ingentibus iris
Sinceram in pacem durissima corda repente
Sic coiisse, graui, & dulci sermone refracta,
Vt damna obliti, & foedatam caede suorum
Plurima humum, lacrimis obplentes ora sinumq;
Carum in complexum populo plaudente uenirent.
Quos furiae plures infestauere per annos:
Quosq; intemperiae, dirae turpesq; ministrae
Per sephones grauibus diuexauere malorum

Tormentis,

Tormentis, ſanam retulerunt ilico mentem,
Poſtquam ſancti huius tetigerunt limina templi.
Sed neq; ego, indignus famulus ſeruusq, uocari
Virgo tuus, ſum expers meritorum exſorsq; tuorum.
Namq; ubi certa meae ſedit ſententia menti,
Te duce Ioannes Baptiſta Scarampi, meiq.
Omnis Conſilij, atq. uiae rectore, ſuperba
Linquentem Inſubrum Dominae urbis moenia, miris
Prodigiis horrendam & relligione columnam hanc
Viſere: teq; in ea proſtratum orare ſedentem,
Ilico praeſto ades. & curis annisq; grauatum
Pluribus: & tarda titubantem crura ſenecta
Auxilio feſtina iuuas: roburq, iuuentae
Sufficis: atq; uiam facilem mollemq, miniſtras
Per iuga caligantia ſaxoſi Apennini.
Salue diua potens terrae, caeliq; marisq;.
Reſpice, quaeſo, meos tenui cum prole penates,
Inſpirans cunctis uerae pietatis amorem.
Da totam ſine labe ulla, ſine crimine uitam
Degere. da ſanam ſano cum corpore mentem:
Vt tua toto animo purgati numina adorent:
Perpetuo & maneant ueterum in pietate parentum;
De me (ha, ne graue ſit) natum, qui noſtra piauit
Crimina placato gratiſſima uictima patri,
Poſce, ora, exora: liceat traducere caſte
Aetatem: inq; uia ueſtigia ponere recti.
Ne mea monſtrato quidquam de tramite flectat
Vita. ſed uſuram reliqui aeui ponat, in iſto
Dum currit ſtadio, totam ad moderamina legis
Sanctae. Tu praefer lumen: ne forte doloſis
Neſcius offendam in tenebris: ne Acheruntius anguis;
Qui nimis, heu, noſtram in cladem uigil excubat: & qui,
Pro lacrimae, prima noſtros ab origine mundi
Circumſcripſit auos, ſpecie ſuadentis honeſta
In fraudem ducat: ſtygiisq; malus male cautam
Fraudibus inlaqueet mentem. Dux, rector ibiq;
Summe Deus noſtrae clauum moderare carinae.
Cumq; aderunt ſeri iam mitia tempora fati,

Spiritus

Spiritus optatum petat ut sublimis olympum,
O, mihi de aligeris adsit legionibus unus:
Commendata animae cui sit custodia nostrae:
Qui faciat languenti animum: qui nocte suprema
Molli ope conpagem soluat clementius istam.
In primis turpes abigat, saeuasq; uolucres
Damnatas Erebo Harpyias, Furiasq; nocentes.
Quae diris terrent spectris mortalia semper
Corda, sed in primis extrema in morte frequentes.
Nos gratis meritum semper celebrabimus hymnis
Diua tuum memores. passisq; ad sidera palmis
Tura salutiferis Panchaea adolebimus aris.

RELIGIONEM
CERTVM ESSE SALVTIS ET SECVRITATIS PIGNVS.

DIVES, inops uenerare Deum. totamq. tuarum
Spem rerum in sola relligione loca.
Illa comes medios ueniet tibi fida per hostes.
Immo adeo uitae dux erit illa tuae.
Isaach. Misach. Abdenago.
Assyrij Isacidas duce ea fouere camini:
Vt Lambit catulos foeta catella suos.
Obstupuit tantis natura exterrita monstris.
Cantat in innocuo laeta iuuenta foco?

Crede

Crede mihi, tumidos sistent cita flumina cursus:
Et repetent fontes Mella, Padusq. suos.
Aerij montes desident uallibus imis.
Turgescent ualles in iuga celsa cauae.
In liquidum tellus modo dura, liquabitur aequor.
Vertet & in durum se liquida unda solum.
Curricula intendens rapido contraria mundo
Phoebus anhelantes retro agitabit equos.
Deniq. quidquid erit, quod mens optauerit aequa,
Quod pro te, atq. tuis numina sancta petes,
Ilicet aduenient conceptis omnia uotis,
Rite Deum pura si pietate colas.

IN OBITVM

RODERICI TOLEDI

LEGATI, ET DVCIS CATH.[ci] REGIS IN BELLO ALPINO ET GALLICO.

DVM cupit ardentem Rodericus stinguere flammam
Impiaq. Alpinis pellere signa iugis,
Pone sequens dubio dum tardat in agmine miles,
Crebraq. in obstatem Gallica tela ruunt,
Acciderit tantum me uiuo dedecus? inquit:
Vt semel obtento pellar ab hoste loco?
Videris o Sol alme hosti dare terga Toledum,
Oblitum laudis, degeneremq. † sui? † *al. suae.*
Non ita Rhenanae me cognouere phalanges:
Versaq. in inbellem Belgica Castra fugam.

Cum ruerem densas dextra uictrice cateruas:
Mosaq. sanguineis turbidus iret aquis.
Vincimur, at numero: tanto mihi gloria maior.
Solum ausum tantam sustinuisse manum.
Quin, mihi sint animae si mille: ego mille pacisci
Non animas dubitem pro pietate meas.
Si saltus nequeam captos uirtute, tueri
Viuens, obcludam corpore stratus iter.
Si pereo, o me ter felicem, terq. beatum.
Pugnantem sacra pro pietate mori.
Ante tamen pro Christe tua quam concido caussa,
Hasce prius nostras accipe quaeso preces.
Me Duce uictrices caeli Rex summe cohortes
Commendo fidei iustitiaeq. tuae.
Caussa tua est. cuncti euersas pugnamus ob aras
Christe tuas, & pro relligione tua.
Consortem thalami super omnia respice nostri,
Heu, precor. a sacro nomine nomen habet. *Hieronyma.*
Pro caro illa sedet semper suspensa marito.
Atq. implet uotis omnia templa pijs.
Ipse ego deliqui si quid, tu parce benignus.
Sis clemens, animae propitiusq. meae.
Sic rogat. & lato dextra laeuaq. coruscans
Ense, uirum quanta caede cruentat humum?
Ira, dolor, rabies, animosi audacia facti,
Et pudor opprobrij barbara corda ferit.
Vndiq. propterea densis coiere maniplis,
Caede redempturi tot sua damna, uiri.
Obruitur telorum imbri Rodericus. & hosti
Empta tamen multo palma cruore uenit.
Felix tali obitu: heroum haud indignus auorum.
Sublimis meriti scandis ad astra poli.

AD

AD

MVM

ILL. IACOBVM
RICARDVM REGIVM
SENATVS MEDIOLANIENSIS
PRAESIDEM.

IN OBITVM
HIERONYMI CASONIS OPITERGINI,
Philoſophorum in gymnaſio Tici-
nenſi principis.

Ergo ne in aeternã clauſit ſua lumina noctem
Caſo, pars animae magna Ricarde tuae?
Tu quantis oneras immitia fata querelis?
Sauciat & quãtus pectora amica dolor?
Non uis ulla tamen, non ulla iniuria fati
Eripuit tanti pignora cara uiri.
Sed decus, & totum uirtus cantata per orbem
Extulit ad meriti templa beata poli.
Carus enim pariter uixit mortalibus. ipſi
Caelicolae arſerunt huius amore uiri.
Dicat forte aliquis: ſi terris carus & aſtris,
Cur aſtra & terrae cauſſa fuere mali?
Sit ne malum acceptam diuis reſcribere uitam,
An ne aliter, non eſt temporis huius opus.
Tantum igitur leti cauſſas narrabimus: unde
Caſo ſit e terris raptus in aſtra tuus.
Concordes in amando animi diſcordia uota
Seuere. hoc homines, hoc uoluere Dei.
Optarunt placidae Caſoni ſaecula uitae
Multa boni, quotquot ſunt ubicumq. uiri.

Vt quanto cunctis iret praestantior ille
  Virtutum numero, uel probitate uiris,
Illi etiam diae tanto diuturnius aurae
  Fata benigna darent munere posse frui.
Certabant contra studijs concordibus omnes,
  Qui caeli ciues lucida regna colunt.
Angustas siquidem terras, nimiumq. pusillas:
  Mentis ubi tantae non capiantur opes.
Ampla autem capiet diffusi regia caeli:
  Quo probitas illi iam patefecit iter.
Hic, ubi in aeternum iuuenescet candidus aeuum,
  Inter & heroes, aetheriosq. choros.
Hic noctis sine faece, dies: hic gaudia surgunt
  Perpetuo ambrosiae rore refusa rosae.
Hic, ubi uerus honor uirtuti, ueraq. surgunt
  Praemia: ubi aerumnis plena parata quies.
Haec animos dulci sparsit sententia amaro,
  Permiscens laetis tristia, nigra bonis.
Gaudebant caro capiti tam multa parari
  Gaudia: perpetuam cum superisq. moram.
At desiderio quis non tabescat? & una
  Supremum laetans optet obire diem?
Ergo, quamquam abitu (nam obitum dixisse piaclum est,
  Parca nec in tantos ius habet ulla uiros.)
Maerebant passim doctorum plena uirorum
  Agmina: tuq. omnes ante Ricarde alios,
Maerebant prorsae, maerebant undiq. uersae
  Pierides, Charitum conlacrimante choro:
Maerebat laniata comas Sapientia honestas,
  Indiga in hoc artis, subsidijq. sui.
Ne tamen huic cunctis dignissimo honoribus, atq.
  Dulci animae latam praepedijsse uiam
Ad superos possent censeri, & tanta morari
  Praemia, decepti plurimo amore uiri,
Tanti spe quaestus longos domuere dolores,
  Cari gaudentes utilitate hominis.
Pax igitur luctu: lacrimis pax: tristis honestos
  In Paeanis abit Lessus ubiq. modos.

Cantabant

Cantabant cuncti uario modulamine laudes
Caso tibi: & cineri sunt data tura tuo.
Huc si cunctorum concludere carmina tentem,
Longa dies non est longa futura satis.
Tu quantum ingenij specimen. tu quantum & amoris
Laudibus exprompsti docte Ricarde tuis?
Non (inquis) iam te uolitantem ad sidera Caso
Prosequimur lacrimis, flebilibus ue modis.
Ast alacres geminis celebramus funera ludis — Scenicis & Gymnicis.
Et cingit laetum festa corona caput
Quam putat ignaui mortem imprudentia uulgi,
Transitus est magnis ad meliora uiris.
Vt colubro rigidae per inertia frigora brumae
Increscunt caecae tergora dura cutis: — Caecior Leberide.
Idem uere nouo pastus mala pharmaca, uepres
Inter, & angusti scrupea saxa tori
Deponit senium: nitidaq. in † ueste coruscus — † al. pelle.
Gaudet: & in forma se probat ipse sua:
Sic hiemem exutus uitae, deiecit amictum
Sordentem, & grauidum corporis huius onus
Caso meus. Iuuenis, propria & uirtute decorus
Viuit perq. animos, inter & ora uirum.
Fortior est fato uirtus. Nec honestius actae
In terris uitae gloria pulchra perit.
Viuit: & aetherias Caso migrauit in oras:
Festus ubi & felix gaudia plena capit.
Propterea (iubet is) cari doctiq. sodales
Temperet a lacrimis iam modo quisq. suis.
Illum hymnis potius meritis comitemur ouantes.
Nostrae illum chartae Pieridesq. canant.
Et pro tristi apio, & pro ferali Cyparisso
Vernanti uiola, purpureaq. rosa
Festa coronemus sibi tempora quilibet: atq.
Cantemus summo carmina iusta Deo.
Caso habitet memori, uiuatq. in mente. uirorum
Pectora, Casonis uiua sit urna mei.
Illius nostrum semper recalescet amore
Pectus: & in nostro pectore uiuus erit.

Est suspensa mei penetrali in parte Larari
Casonem referens picta tabella meum.
Hanc ego mane nouo: hanc sera sub nocte saluto:
Hac desiderium mollius ipse fero.
Qualibet intueor, notis me spectat ocellis:
Nec quoquam a nostris lumina cara mouet.
Si contra adspecto recta e regione, tuetur
Illa etiam uultus e regione meos.
Celsius ad tollo: tollit quoq. celsius illa
Lumina. Deicio, deicit illa quoq.
Adcedo ad dextram: ad dextram se torquet & illa:
Spectat leua, si forte sinister eo.
Pone abeo obliquus: flexa ceruice repente
Vertitur: atq. abitu congemit illa meo.
Sto fixis oculis: oculis manet aemula fixis.
Deniq. me cunctis pascit imaginibus.
Haec mihi honorificos mollit spectata labores: *al. magnificos.*
Detergetq. animo taedia cuncta meo
Curarum: quarum me onerat Rex mole Philippus.
Rex, quo nil maius maximus orbis habet.
Hic tribuit sancti rectorem me esse Senatus:
Et regno Insubri libera iura dare.
Incumbens humeris tantarum sarcina rerum,
O animae pridem uitaq. melq. meae,
Quanta facultatis tollit mihi commoda? (namq.
Viuida laudandi mens studiumq. manet)
Aequa uoluntati si sit concessa facultas,
Laudis & historiam concelebrare uacet,
Cantarem primum Sophiae praeconia: cuius
Dulci in Casonis pectore nidus erat.
Nulla uirum latuit pars illius. omnia norat,
Quaecumq. in priscis sunt agitata scholis.
Norat Palladiae docuerunt quidquid Athenae:
Indorum & nudi quae tenuere sophi. *Gymnosophistae.*
Plurima Socraticis tamen est impensa libellis
Cura. haec est uitae uera magistra probae.
Diuina ille huius quoties praecepta canebat
Celsior in cathedra, compositaq. toga,

Dulcius Ambrosia, puto pretiosius auro,
Gratius & Casia, Corycioq. Croco
More niuis densae eloquium manabat ab ore,
Purifica pascens plena theatra dape. Νίφαδες.
Quid memorem uitam numeros probitatis habentem? &
Virtute ambitas Principum amicitias?
Quamquam se ille sua inuoluens Sapientia, & una
Subiciens pedibus spemq. metumq. suis,
Rerum & honorum contemptu ditissimus, o quam
Anteabijt magnos prosperitate Duces?
Praestantes aliquos aliqua in uirtute uidemus.
Hac ille: ille alia primus in arte cluet.
At Caso cunctas sic pertractauit, in omni
Virtutum uersans nocte dieq. choro,
Vt primae in cunctis tulerit suffragia laudis,
Incedens omni grandior inuidia.
Audijt orantem Latia quicumq. Minerua,
Obstupuit clamans: Tullius alter adest.
Hunc natum medijs subito testeris Athenis:
Si, quidquid graece condidit ille, legas.
Et quicumq. uident elegeia carmina, dicunt:
Romani sunt haec carmina Callimachi:
Obscuras rerum caussas inlustrius ille
Explicuit mentis dexteritate suae.
Cur Magnes ferrum: paleas cur Succina raptent:
Cur hiet adspectans alterum hiantem hominem.
Curq. sub Herculeum tundantur grandine Cancrum
Vitiferi colles, & sata laeta bonum.
Fulgura solstitijs quia nam caua nubila rumpant.
Tuncq. quid in terras fulmina crebra cadant.
Humidus ut pluuias, ut fumidus halitus edat
Flamina, quo motu territa terra tremat.
Atq. etiam librata suo cur pondere, celsa
Pendeat: & praeceps non leuiora ruat.
Non umquam, studio ocI, uirtutisq. parandae
Sedibus e Latijs extulit ille pedem.
Descripsit tamen hic radio felicius orbem,
Quam quibus est oculis cognita terra suis.

Indus

Indus ab occiduo quantum decedit Ibero:
A Tanai Nilusq., Hesperionq. Ceras

Promontorium bonae spei.

Sed quid ago ingrediens stultus, maris atq. uiarum
Vastum iter, insuetus ferre laboris onus?
Et pauca, aut potius prouisa uiatica nulla.
Commissa at quanto est cymbula parua mari?
Pecco equidem. uerum cupio persoluere amico
Officium, saltem, qua ratione queam.
Est amor in caussa. iubet hic maiora subire:
Seq. duce ingentem suadet habere animum.
Felicesq. parum per dura negocia cursus
Depositae interdum praemia laudis habent.
Et quoniam (quamuis studio contendimus acri)
Quam cupio, scio me persoluisse minus;
Adcedo ad docti Ticini moenia iam iam:
Grandia ubi modicus contegit ossa lapis.
Dulcia quot tumulo libabimus oscula cari?
Quae fundam surdo uerba suprema rogo?
Sis leuis, o tanti terra hospita pulueris, oro.
Sis leuis. hic animae est pars tumulata meae.
Aeternum salue: aeternumq. uale incola caeli
Iam Caso, atq. animis adnumerate pijs.
Sis memor ut nostri memorem precer? attamen oro:
Cari istic socii sit tibi cura tui.
Gratus adi Dominum Mundi: qui nostra piauit,
Crimina, placato victima grata patri.
Posce, ora, exora: liceat mihi degere uitam
Candidam: & in recta, quam docet, ire uia.
Cumq. mihi lucis supremae aduenerit hora
Vt petat optati spiritus astra poli,
Hic mihi de summo, te propter, prospice sedem.
Rege Poli. Hic cumulet gaudia nostra locus.

FINIS.

EIVSDEM

IOANNIS MARII MATTII

LIBELLVS DE ORTHOGRAPHIA.

AD ANTONIVM ARNVTIVM
MEDICEM MAXIMI ALEXANDRIAE
fani Archidiaconum.



ALEXANDRIAE STATIELLAE,
Ex Officina Herculis Quinctiani. CIↃ. D. IIC

IOANNES Marius Mattius.

ANTONIO ARNVCIO MEDICI PROTONOTARIO APOSTOLICO, ET ARCHIDIACONO Fani Maximi Alexan. S. D. P.

QVONIAM animaduerti cariſſime Antoni genere, doctrina, & religione pariter inluſtris & excellens, probare te & ſequi rationem ſcribendi, quam ſeruo ego, & ſeruari ubicumq. in meis libris eſt uiſum a typographis iubeo, nuper quamdam quaſi farraginem conlegi eorum uerborum: in quibus a uulgata forma ſcribendi non temere (ut quidem mihi uideor)

ſciens, & fortaſſe etiam prudenter diſcedo. Eam prodire in publicum, & in tuo nomine adparere uolo. Teſtis erit illa meae in te mutuae beneuolentiae. quam iam metum inceptam, cum alumnus meus merebas ſtipendia diſciplinae meae, colui ſemper, & colam conſtanter, ſic meritis tuae probitatis, amoris, religionis, dignitatis, & doctrinæ poſtulantibus. Tota autem huius Orthographiae ratio petita eſt a doctiſſimis auctoribus, a ratione, atq. ab uſu bonorum ſcriptorum. Vſus autem eſt (ut facile colligitur ex Diogenis Laertij Zenone, qua in parte de Soloeciſmo agit) conſenſus bonorum felicis linguae. ne quis forte corruptus male ſcribendi mos uſum putet. Hic uſus, & haec felicitas euerſa Repub. paullatim primo, deinde penitus praeceps ruit. Hac Orthographia, quam ſum commonſtraturus, uſos fuiſſe olim ueteres, ratio, Grammatici priſci, antiquae tabulae aereae, numiſmata, marmora, & ſcripti calamo libri luculenter docent. His auctoribus, his magiſtris, hic utimur. In reſtituenda hac Orthographia olim elaborauit prope primus omniũ Caſſiodorus & quidam alij

dete-

deterioris notae. Deinde aetate nostra Pierius Valerianus. Subsecuti sunt optime de omni genere literarum meriti mei amici Carolus Sigonius, Paullus & Aldus pater & filius Manucij: Fuluius Vrsinus: ambo Scaligeri, pater & filius nobilitate & tractatione praestantissimarum artium inlustrissimi. Huic quoq. parti, quoties cumq. aliud agenti opportunitas se offert, non deest Antonius Augustinus, & aliquot alij doctrina & iudicio insignes uiri. quos neq. uniuersos noui, neq. necesse habeo perquirere & recensere. Aldus iam pridem edidit in hoc genere elaboratum & doctum librum: quem locupletare ubere adcessione praesens & per literas mihi est pollicitus. sed dum ille tardius, idest maturius ad opus adgreditur, ego ab occasione huius mei exeuntis libri admonitus manipulos aliquot (ut rusticorum uocabulo utar) uerborum huc includere non omnino inportunum esse iudicaui. Maxime autem ad hoc capiendum consilium inpulsus sum suspicione amittendae laudis, quam ex hac lucubratiuncula exspecto. Namq. illius exemplum, quod Mediolanio Romam ad Aldum eius rogatu mittebam,

inter

inter manus tabellariorum & Curſorum publicorum perijt. Fieri facile poteſt, ut libellus incidat in manus ambitioſi alicuius: qui ἕρμαιον κέρδος ſibi gratulans adripiat, & pro ſuo uenditet & edat. alteriusq. laboris gloriam ἀνιδρωτὶ καὶ ἀκονιτὶ reportet & fruatur. De qua iactura poſtea ego malum fatum incuſans fruſtra clamitem. Sic uos non uobis. Hoc formidatum malum belle poſſe auerti, re hic indicata exiſtimaui. Si quis uero expoſitionem uerbi Orthographiae cupit ſcire, hanc habeat a Suetonio in Auguſto ſic tradente.

„ *Orthographiam, id eſt formulam rationemq.*
„ *ſcribendi a Grammaticis inſtitutum non adeo*
„ *cuſtodiuit.*

Fortaſſe uero tractatio haec longiorem atq. adcuratiorem operam poſtularet. Sed optimus Arnutius, omnis huius breuitatis & feſtinationis Mattio gratiam faciet. Vale.

ORTHOGRAPHIA.

MATTII.

A. Interiectio, non Ah. Probus, & veteres codices Virgilij.

Attamen vetus Tibulli codex Romanae bibliothecae Ha Scribit, adſpiratione praecedente.

Ab, Ad, In fere ſemper ſeruantur integrae in compoſitis.

Abdo.

Abſabrum. Feſto.

Abgrego. Feſto.

Abicio, Adicio, Deicio, Conicio, Eicio, Inicio, Obicio, Proicio, Reicio, Subicio vno i. Namq. τὸ I. magnam tam apud Græcos, quam apud Latinos vim habet producendi antecedentem ſyllabam breuem. Sicq. habent veteres calamo ſcripti libri, ſic Epigrammata Orbis ab Apiano & reliquis conlecta. Sic Gloſſarium vetus.

Abripio.

Abluo.

Abludo.

Abnuo.

Abpatratum Iureconſultis.

Ab, & Ad, b, & d seruant in omnibus, ne singula enumerem, conpositis vsq. ad Aurelij Antonini aetatem in omnibus scriptis calamo libris, marmoribus, & nummis. Immo, sic est etiam in nummis Alexandri Imperatoris. Sic Gloss. vetus.

Accipio primus Lucilius cum c. scripsit. Sic postea reliqui. attamen interdum Adcipio scribitur cum d. in aliquibus scriptis libris Virgilij.

Adcensi. Fest.

Adcingo. Gloss. vetus. & veteres cod. virg.

Adcio, is. Adcire Vet. codices Virgilij, & Ciceronis.

Adcubo. ratio, & libri boni.

Adcidisset ad terram trabes. ad Herennium, & Varroni.

Accipiter, & } vet. codices Virg.
Adcipiter }

Adcliuis Gloss. vetus.

Adfectus. Lapides Neapoli & Baiis.

Adfero.

Adfecto. Festus.

Adfines. Festus.

Adgredior V. C. Virg.

Adgrego. Festus & Gloss. vet.

Adgrettus pro Adgressus. Fest.

Adnascor & }
Adgnascor }

Adgnati, vt Adfines.

Adnepos in libro Apiani.

Adgnatio. Pandectae Florentini.

Adfabrum, fabrefactum. Fest.

Adfari } Virg. vet. codices, Macrobij, & Gloss. vetus.
Adfatim }

Adlecti. Fest. & marmora antiqua. vt notat Antonius in Baebia familia.

Adlicio, Fest.

Adligo, V. C. Virg. licet quidam veteres Grammatici contrarium tradant.

Adliuescit. Fest.

Adnicto, Fest.

Adripio. ratio.
Adrogo, Gloss. vet.
Adrumauit, Fest.
Adpromissor. Fest.
Adscisco } V. C. Virg.
Adscripti } Fest.
Adscribo.
Adsectata. Festus.
Adsertor. Fest. in Sertor.
Adsero. Fest.
Adseruo.
Adscendo.
Adscensus.
Adsidelae.
Adsiduus. Fest. Varr. V. C. Virg.
Adsipere.
Adstrassent.
Adtestata. } Fest.
Adtegrare.
Adtritum.
Adtribuo.
Adtubernalis.
Adtractare cum a. vet. codices Virgilij, & Liuij.
Ad prima tenax. V. C. Virg.
Adnosco Pandectae Florentini.
Adgnoscit } V. C. Virg.
Adgnouit
Adloquor. V. C. Virg. marmora vbiq. sic vniuersa huius-
Adlocutio. (modi reliqua.
Adgnominatio.
Adtinet.
Adquiro. V. C. Virg. & sic vsq. ad Antoninum.
Adparent V. C. Virg.
Adsuetus. V. C. Virg.
Adtollo. Adtuli.
Adfero.
Adsum V. C. Virg.
Adpono. V. C. Virg.

Adnitor. V. C. Virg.
Adcurro. V. C. Virg.
Adnuo. V. C. Virg.
Adnare. V. C. Virg.
Adsto. V. C. Virg.
Adlabor } V. C. Virg.
Adlapsus }
Adfixus.
Adsigno. tabula aerea Vrsini.
Adfligo.
Adcliuis.
Adcingor. } V. C. Virg.
Adcendor, & Accendor.
Adloquor.
Adgero.
Adger.
Aheneus, a, um.
Aeneus, a, um. } ab Aes
Ahenus, a, um.
Aereus, a, um.
Adglomero. Festus in Axe.
Adquiesco. Lapis Vetus.
Accisus tamen, V. C. Virg. & Seruius eo versu. Accisis coget dapibus. vbi inquit. Ac. oc. an. idem nobis praestant, quod apud Graecos ἀμφὶ. Ambactusq. idest circumactus: Festus quoq. Am Cinquit) praepositio loquelaris significat Circum.
Acreus lege, Aeneus.
Am seruatur integra. attamen
Ancaesa. Festo.
Anceps.
Ancilo.
Anhelo.
Anquiro.
Am sequente vocali, b. mediam admittit.
Ambactus. Fest.
Ambages.
Ambedo } Fest.

Ambesus
Ambens Lucretio.
Ambest. Fest.
Ambio.
Amburbium. Fest.
Ambarualia.
Amburo. Ambustus.
Amplector.
Amplus.
Amplius.
Amplio.
Amputo.
Amsanctus, & } Seruius.
Ansanctus }
Amnis.
Ampendices olim (inquit) Festus: nunc
Appendices.
Amsegetes } Fest.
Amtermini }
Adsurgo.
Adsto. V. C. Virg.
Alium nõ Alliũ. Olus hortẽse vinico l. ab halãdo dictum.
Aeneus. }
Aheneus. } Agellius.
Aënum. }
Ahenum. }
Acalanthis, non Acanthis. V. C. Virg. & Probus ibidem.
Aesculus. lapis vetus. quem Vrsinus edidit.
Arcesco. Gloss. vetus. libri veteres. & ratio, ab Arcio scilicet.
Afuit. } Cod. veteres. Glossarium vetus.
Afuturus. }
Amicitia non Amicicia, cum t. tabula aerea Vrsini.
Anchora, cum adspiratione. licet in Graeca voce non sit. Vet. Cod. Virg. & Seruius.
Auitus, non Habitus cognomen Cluentij. V. C.
Arena & }
Harena }

Blatio.

B

BLatio, is. ⎫
Blatero, as ⎭ sine c. & vnico t.

Belua, vnico l. quidquid dicat Festus. qui à belua bellum deducit. cum Bellum duellum sit: Sicut Bis, duis.

Baccha, Bacchi Sacerdos.

Baca vno c. & sine adspiratione gemma est, & Lauri & similium fructus.

Bosporus, non Bosphorus.

Brabium vel Brabeum, non Brauium.

C

CArthaginensis, quinq. syllabarum, non Carthaginiensis. Nam alucinatur hic Priscianus, & alij in hac parte eum secuti. Etenim nomina deriuata, quae in ensis cadunt, à genitiuis formantur versa, si sunt primae declinationis, diphthongo in ensis. vt Bononiae Bononiensis. Veronae Veronensis. Si secundae, i, in ensis. vt Comum Comi, Comensis: Pistorium Pistorij Pistoriensis. Corfinium, ij, Corfiniensis. Si tertiae is in ensis. Vt sulmo, onis, Sulmonensis. sic Hipponensis, Vlyssiponensis, Tarraconensis, Narbonensis. Carthago, ginis: Carthaginensis. Quod ad carmen illud Ennij adtinet,
„ Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis. necessitas metri poetam coegit, ab Epenthesi subsidium poscere. vt Virgilius fecit in Alituum.

Cum haec iampridem scripsissem, animaduerti postea Iosephum Scaligerum in Catalecta, idem sentire.

Cartacinensis est in antiqua inscriptione cum c. & sine adspiratione in secunda syllaba apud Fuluium Vrsinum. in Ogulnia familia.

Caelum. est tamen Coelum cum oe diphthongo Mediolanij in lapide antiquo, in angulari lapide domus priuati hominis e regione D. Mariae Scalae.

Caelo, as cum ae diphtongo Sculpo.

Celo,

Celo, as. ſine diphthongo, Lateo.
Coepi cum oe, quod eſt incoepi.
Cepi ſine diphthōgo ae, a capio. quidq̄d alij aliter tradāt.
Cea
Cia } tres diuerſae inſulae.
Chius
Cos
Ceius non
Caeus
Cerialia, & } Cereris Sacra. Cerealis eſt in Fannia
Cerealia familia apud Fuluium Vrſinum.
Ciuis pro Ciues non Ciueis. ſic reliqua ſimilia omnia.
Chaurus } V. C. Virgilij, non Caurus aut Corus.
Chorus
Cyniphius, non Cinyphius.
Clypeus, Clypeum cum y. &
Clupeus.
Cohors. marmora antiqua
Cors lapis antiquus ad aram templi Montatae, quod eſt oppidum agri Haſtenſis. & alter Serrauallis, Oppidi Dioeceſis Dertonenſis.
Chors, tis. marmor antiquum Haſtenſe.
Conniſus & } Vet. Codices Virg. & Probus.
Connixus hinc ſeruitio enixe tulimus.
Cluma & } Feſt.
Gluma
Comiſſatio } Feſt.
Comaſſatio alijs
Comiſatio vno ſ. Gloſſario veteri.
Conſidero, non Conſydero.
Contracto. non Contrecto.
Concio onis. eſt tamen in tabula aerea Vrſini
Conctio. &
Contio, in tabula aerea Bembi.
Coniux. Maritus.
Coniux cum vxorem ſignificat. ſic obſeruauit Pierius in monimentorum titulis.

Contari,

Contari, a Contus, quae est pertica nautica. qua aqua profunditatem explorant, vt legitur in multis inscriptionibus antiquis. &
Cuntari, vtrumq. sine c.
Curgulio cum c. quamuis auditur g.
Caieta itidem cum c. licet proferatur vt g.
Chilo cognomen Flaminij. tamen in quibusdam nummis interdum adspiratio omittitur. quod euenit etiam in Gracchus. Graccus: Triumphus Triumpus: Tamphilus. Tampilus: Pamphilus Pampilus.
Chilo (inquit Festus) cognomen à magnitudine labrorum.
Cilo, sine adspiratione, cui frons est eminentior.
Conligo
Conlibertus. in libro Apiani.
Collibertus, marmor Hastense, & alia.
Conlegium. tabula aenea Vrsini, & Gloss. vetus.
Collegium etiam legitur.
Conlucare. Fest.
Conlatia. Festus.
Comuulsus Victorino.
Cumuexus Victorin.
Conlabor. V. C. Virg. ratio, & marmora vetera.
Conlaudo. Gloss. vetus.
Conlatus. lapis Neapoli ex Vrsino, & libro Apiani.
Conlatiuum Festo.
Conripio V. codices. & ratio. Sic fere similia omnia in Gloss. vetere.
Con, sequente vocali amittit n.
Coagmento.
Coagulum.
Coalesco.
Coangustare.
Coarctare. & sic reliqua.
Comburo b. suscipit.
Cum alter
Coco.
Coerceo.

Coitus

Coitus
Coius pro cuius, saepè.
Coinquino.
Cohibeo
Cohorreo.
Cohortor.
Comedo tamen m interponit. vel est ex cum & edo.
Coorior.
Coortus.
Incipientia verba ab m, vt Muto, vltimam praepositionis literam eamdem esse postulant. vt
Commuto. sic reliqua auctore Cicerone, in oratore. qui sequendus est, non Glossarij Scriptura.
Commoueo.
Conplaceo vet. codices virg.
Conplector
Conpello. sic reliqua.
Combibo.
Combennones.
Condico. Sic reliqua.
Conficio. Sic reliqua.
Congruo } sic reliqua.
Congemino
Coniecto } sic reliqua.
Coniunctus
Conpono. } Cic. Oratore. qui in omnibus etiam reliquis
Consuesco. } similibus omnino est
Concrepo. } sequendus
Conficio.
Conicio. lege Abicio.!
Conloquor etiam Gloss.
Conpactum. Gloss.
Conlapsus. Veteres lapides, & Vet. cod. Virg.
Connitor. Sic reliqua.
Conquiro.
Conquasso.
Conregione. Fest.
Conpleo. V. C. Sic idem seruandum est in ceteris a P. incipien-

 cipien-

cipientibus; auctore Cic.
Conpello.
Conparauit. marmor antiquum in Basilica Lateranensi.
Conpotrix. sic reliqua.
Conruspari. Fest.
Conrugate.
Conrumpere.
Conripio. V. C. Virg. & Ciceronis. & ratio.
Conspergo.
Conseruo.
Consponsor.
Conspuo.
Contristat.
Contestari.
Conuallis.
Conuello.
Coquus, & cocus
Circum vbiq. seruetur integra
Circumluuium. Fest. cum duobus etiam uu. l. Luo.
Circumfero.
Circumlatus.
Circumtulit.
Circumcido.
Circumdo.
Circumfluo.
Circumforani.
Circumfodio. & reliqua.
Circumiaceo. & reliqua.
Circum, quado componitur cum incipientibus a vocali, tunc m. in pronunciando omittitur, aut dissimulat.
Circumago.
Circumadgero.
Circum eo.
Circumequito.
Circumire.
Circumitio.
Circumobruo.
Circumcido.

Circumcludo.
Circumconcolo
Circumculco.
Circumcurro.
Circumdolo.
Circumduco.
Circumgemo. & reliqua ſimilia.
Circumlambo
Circumlator } Gloſſ. ratio.
Circumlocutio
Circummitto } & reliqua ſimilia.
Circummunio
Circumnaſcor.
Circumpadanus.
Circumpango.
Circumplector.
Circumpono.
Circumrodo.
Circumſaepio.
Circumſcribo.
Circumtego.
Circumuehor.
Circumuolo.
Cluma. l.
Gluma.
Cum plures. } diuiſis dictionibus.
Cum plurimi.
Cum maxime } Terent. & Liuio.
Cumq. Horatio.

Si con integra ſeruatur, quando componitur cum verbis a conſonantibus incipientibus, cur idem ius non ſit incipientibus a b. & p.? Ideſt, cur ſi ſcribitur concrepo, concerto, condico, conficio, conformo, congrego, congredior, coniux, coniecto, conlibertus, conlapſus, connecto, connitor, conuoco, conuicium, conqueror, conquiro, concipio, conruſpari, conſidero, conſto, conteſtor, cõtriſto, cur (inquã) non conbibo, & cõpono, vt vult Cicero ipſe, dicemus cum reliquis ſimilibus?

D

DEtracto. non Detrecto. Sic contracto. V. C. Virg. Tibulli, Ciceronis, & Liuij.
Deuerto & Deuertor, non Diuerto & Diuertor. libri veteres, & ratio.
Deuersor. Deuersorium. sic etiam tabula LXXII. aerea Vrsini. pag. 19.
Diligo & } pro eligo, non Deligo. argumento sunt deriuata
Dilectus } sic veteres cod. & Festus Pompeius.
Diligens &
Diligentia.
Deicio, lege Abicio.
Deblatero.
Decim, non Decem. V. C. Virg. & Liuij. inde vndecim. & reliqua.
Destringo, non Distringo.
Destinguo l. stinguo. vel Tinguo.
Dimico &
Diiudico } & similia.
Delapidata lapidibus strata. Festus.
Dissicere à Sico verbo, quod pro Seco est in tabula aerea Genuæ.
Dissignator, non Designator. libri veteres Vaticani: & marmora antiqua.
Diffarreatio
Discidium.
Di
Dis } vnico i. non Dij, & Dijs.
Differto, as. Plauto. Menaemo. vbi ratio versus sic postulat
Differo. Lucretio, & Festo.
Disertus tamen dicitur prima breui.
Disertim
Disertiones } Festo. Glossarium duobus ss scribit recte.
Delitiae, est Mediolanij in antiquo lapide cum t.

Dum

Dum taxat : vt Quot annis diuisis dictionibus. Tabula aerea iudiciaria apud Vrsinum.

E

EDera. non Hedera. Festus tamen adspirat.
Ecfatus antiquis.
Effari & Effatus } Festo. Scauro. & codicib. veterib. Virgilij
Eheu Heu heu. }
Eligans, pro Elegans. } Cicero de Nat. D. ratio.
Eamdem, non Eandem. Attamen, tabula Iudiciaria antiqua Vrsini cum n. scribit.
Eluies, vno V.
En do, non Endo. sic in du: separatim.
Et si. lege Nihilo minus. & Nuntius.
Emptus cum P. sic Redemptus. Emptor. Redemptor. Pandectae Florentini. Tabula aerea antiquissima Vrsini. & Glossarium. Valerius Probus. Festus in Titiuillitium.
Eu oe.
Exsectus.
Exseco.
Exhibeo. attamen aliquot marmora habent Exsibeo.
Exscindo
Enixe & Enixus } Veteres Virgilij, & aliorum libri. & Grammatici.
Epistula post Iustiniani tempora scribi coepit Epistola cum O.
Eumdem, Eamdem. cum m.
Exsequor. Exsecutus. Exsequiae. }
Exscisio
Exstinguo.

Exsta. orum. ab } Festus.
Exstando

Exsulo non Exulo.

Exsul non } Exul. veteres Virg. codices. & ratio. sic

Exsulium. attamen Eutiches antiquus Grammaticus scribi debere contendit Exsilium, cum i: vt a consul consilium.

Ex, vix inuenias; vt non composita ab ea Praepositione seruent x. Vix autem dixi: quoniam paucula quaedam cum F. aliqua cum C. reperiuntur. Recte nc, an secus?

Exdecimare. } Fest.
Exdorsua.

Exdutae. } Fest.
Exuuiae

Exconsul. I. C.

Efficio.

Exlex.

Exfio. is. purgo. } Fest.
Exfior.

Exfodio, Plauto.

Explumo.

Exgrumino.

Exgrumo.

Exgregiae.

Exgressi. aliquot Codices Vigiliani.

Ex filati. } Festo.
Effilati.

Effilatum

Exfuti pro Fest.

Effusi.

Elabsus. V. C. Virg. cum b. ratio.

Exspes.

Exspiro.

Exspers pro sparsus. Catull. de Coma Berenitis.

Excoquo] sic Coquus, & Cocus Recoquo.

Esquiliae, non

Exquiliae.

Exquiliae.
Expendo
Expurgo.
Exſpiro.
Exrogare. Feſt.
Exſaniare. a ſanies.
Exſcalpo.
Exſignare.
Exſomnis.
Exſordeſco.
Exercirent. Sarcirent, Feſtus. Sed debuit ſcribere.
Exſarcirent.
Exſcendo. }
Exſcenſus. } Liuio.
Exſaeuio
Exſcarifico.
Exſectus. Ratio.
Exuerrae. purgamenta. Feſto.
Exuerto.
Exſupero.
Exſugo.
Exſors }
Exſanguis } V. C. Virgilij
Exbueres ſiue }
Exburae } Feſto.
Excedere Feſt. & ratio
Excidionem. Feſt.
Excio. is. Feſt.
Excipio. Feſt. V. C. Virg.
Expapillatio. Feſt.
Expatare. Feſt.

F

FAs, vt Nefas. cum f. non Nephas.
Femor, oris. }
Femur, uris. }
Femus. feminis. } Feſtus, & alij Grammatici. & V. C. Virgilij, atq. aliorum.
Femen, feminis. }

Fetialis cum t. Festus, & aliquot Graeci. Sed
Fecialis cum c habet antiquus lapis Brixiae in Diuae Iuliae. Nam Sigonij, Panuini Manucij ducti sunt in fraudem ab ijs, qui audita ab alijs retulerunt. Apud me est testimonium oculati testis & descriptoris diligentissimi. qui vniuersas inscriptiones vrbis & agri Brixiani admirabili diligentia & fide conlegit. Aliud testimonium est apud heredes Caroli Sigonij missum a me viuenti amico. de quo munere mihi per literas gratulatus est, & gratias egit.

Etiam in vetusto lapide apud Delmatas Fecialis cum c. est. Totum hoc Epigramma descriptum exstat in libro Appiani inter Epigrammata Salonae. Glossarium quoq. cum c. scribit, sed cum diphthongo in prima syllaba.

Fluo, cum vno u.

Fluuius & } Fluuidus } cum duobus uu. V. codices Virgilij. attamen docti nonnulli censent scribendum Fluius vno u.

Felix fine diphthongo. Plutarchus tamen in Sulla φοιλιξ scribit verum Graeci monstra saepe edunt in vertendis Romanis vocabulis in suam linguam.

Generrix & } Genitrix. } vtroq. modo bene.

Gracchus & } Graccus } lege Chilo.

Gaetulus Graecis } Getulus Latinis } primis duabus longis. Ouidius tamen illis est abusus.

Galatea Γαλάτεια. non Galathea.

Genesta cum e. V. Codices Virgilij. tamen Probus probat Genestam.

Grassor cum G.

Gluma & } Cluma } Festus

Genua, non Ianua. omnes historiarum scriptores. inde Genuenses, &
Genuuates. Tabula aerea Genuae.

Habitus.

H

HAbitus. I. Auitus. cognomen Cluentij.
Harpyia. Har, pyi, a. non Har. py. ia. ſic cenſet etiam Cariſius, & ratio diphthongi ſic poſtulat.
Harena &
Arena.
Haſta Colonia: non Aſta, Vrbs Cis alpinae Galliae in Liguriae Taurinae parte. inde
Haſtenſis. Hanc Tanarus adluit. Antiqua marmora. vt in Aedibus nobilium Mazentarum Mediolanij.
Helorus & Elorus. } quod ab antiquis adſpiratio ſaepe detrahebatur.

I

ICius, non Itius apud Horatium. Ratio, Libri veteres, Marmora antiqua.
Idcirco, non, Iccirco. Veteres lapides. inter alios vnus in libro Appiani pag. 370. habet Itcirco vſitato tunc more quorumdam, : qui T. pro D. poſuerunt: & Gloſſarium.
Ilicet, non Illicet. V. C. Virg.
Ilico foraſſe, non Illico: vt Ilicet, ſcilicet. quamuis nonnulli putent dici, quaſi in loco.
Inluſtris, non Illuſtris. Sic eſt in tabula antiqua aerea. ſic vetus inſcriptio apud Scaligerum in fine ſecundi libri ad Auſonium Gallum: ſic Gloſſarium. In quo vniuerſa ſequente L. ſeruant N. vt
Inlaudatus. V. C. Virg. ſic
Inlecebrae. ratio, Gloſſarium vetus.
Inlex.
Inlaqueatus.
Inlices.
Inliciter.
Inlido. V. C. Virg.
Inliſus. V.C. Virg.

Inlicium.
Inliteratus.
Inlatus. ratio. Glossarium.
Inlino. Gloss. ratio
Inlimatus. Gloss. ratio
Inlicio. } Gloss. ratio
Inlexi.
Iuluuies. Gloss.. ratio
Inlotus. Gloss. ratio.
Inluceo. ratio. Gloss.
Inchoo. Olim autem
Incoho. sic duae tantum dictiones latinae post c. seruant adspirationem. Inchoo, & pulcher. Addebant aliqui Lurcho.
Illic, Illaec, Illoc, vel Illuc. vt } sine adspiratione.
Istic, Istaec, Istoc, vel Istuc.
Inicio. leg. Abicio.
Inrisus. non Irrisus.
Inrideo.
Inremeabilis. V. C. Virg.
Inrumiendi. Festus in Sublicium
Inrumpo. V. C. Virg.
Inpello. V. C. Tabula aerea Vrsini. sic reliqua verba huiusmodi.
Intubus.
In du, non Indu. vt En do, non Endo, licet sit vna tantum dictio.
Interemptus, vt Peremptus. cum P.
Irito, as. vno r. ad iram incito. vnde
Iritatus.
Inritus, non ratus, media breui. Glossarium & ratio.
Inrideo. Festus.
Inpono. Tabula aerea Neapoli, Vrsini.
Impetro. est in marmore edito ab Vrsino, per aetatem Traiani.
Impēsa est in inscriptionibus Vespasiani apud Panninum. nisi forte ille male descripsit.
Inpensa cum n. in tabula marmorea Maffeorum edita ab Vrsino.

Inprobo

Inprobo est in lapide antiquo Neapoli. quem Vrsinus edidit.
Inprudens, apud eumdem.
Imperator cum m. sic } sic coeptum, est scribi aetate Imperatorum. ante enim cum n, scribebant.
Imperiosus. Ita semper Fasti
Inpero & } cum n. Tabula aerea Vrsini.
Inperium
Iuuenalis & hoc
Iuuenale. non Iuuenilis & Iuuenile. V. C. Virgilij, & reliquorum. sic etiam Grammatici.
Iupiter vno p. lib. veteres.
Iuppiter duobus pp. marmora vetera.
Iustitia cum t. V. C. Virg. Nummi. & marmora antiqua.
Interemptus.
Inter, cum in alijs compositis seruetur integra, in sequentibus aliter scribitur.
Intellego,
Intellectus,
Intelligentia,
Intellego & } vtrumq.
Intelligo

L

LAbsus. Ratio, Probus, & V. C. Virg. non Lapsus.
Litera. vno t. a linea scribi debet. ratio. & V. codices.
Litus, vno t. vel quia antiqui consonantes non geminabant: vel quia Analogia sic postulat, siue a Lido is, siue a Lino, is. siue a Ludo is, vt placet Ciceroni, deducas.
Laetitia cum t. libri vet. Marmora & Nummi.
Lanitium cum t. V. C. Virg.
Laodamia Graeci, cum a.
Laodomia Latini cum o.

Lurco fine adſpiratione . ſic Orcus . vt non bene ſentiant, qui tria eſſe verba dicunt . in quibus c . adſpirant . Lurcho , Orchus , & Pulcher .

Loquor, } Sic ſequor
Locutus } Secutus

Laena veſtis , vt Claena .

Lena I. C. a Lenone .

Laeuus , a , um .

Luo . Feſtus tamen ſcribit Circumluuium duobus uu . ſic Pluuo , & Pluuia .

M

Mediolanium . ſex ſyllabarum , ſic tres tabulae marmoree habent in vrbe Mediolanio .

Mantele & Mantelia , non

Mantile & Mantilia . V. C. Virg. & reliquorum

Marcius , &

Marcia gentilicia nomine cum c . a Marco . Attamen Pierius lib. 40. de literis Hieroglyph. in vno nummo Marciae Otacillae eſſe Martia cum t . ſcribit .

Macius alicubi obſeruaui . Attamen eſt

Mattius cum duobus tt . in antiquo lapide in Appiani libro . pag.377. MATTIVS . CHARITON . & Taurini in aedibus Pingonij hoc eſt vetus Epigramma in tabula marmorea .

MERCVRIO
T. MATTIVS , ATEVRITI . F
MAGIACVS
V. S. L. M

Aliud alterius Mattij marmor eſt in libro Appiani in inſcriptionibus Carinthiae pagina 377.

Ne

N

NE pro certe, & valde, sine diphthongo. Grammatici omnes veteres. Donatus, Priscianus, Diomedes, Sosipater. licet deducant a ναὶ aduerbio. Potest, & a νὴ deriuari optime. libri scripti cum diphthongo scribunt.

Neclexerunt cum c. est in antiquo lapide, in Vico agri Bergomensis, Adnaste dicto.

Nenia sine diphthongo, a, νήνιτος, quod extremum significat. sic censet etiam Iul. Caesar Scaliger.

Nymfa. L. Pulcer. nam antiqui multi adspirationem neglexerunt,

Ninguo. V. C. Virg. non

Ningo.

Nequidquam cum d.

Nisus. a nitor, eris. & incumbens significat. Probus.

Nixus, a, um. Nixa partu leuata, & incumbens etiam. V. C. Virg.

Nais, Naidis vno i. V. C. Virg. & Probus. quamquam idem Virgilius dixit Naiadum quattuor syllabarum, & Naiades trium.

Nuncius, cum c. Festus, & quidam lapides. Attamen nonnulli libri veteres, & lapides nonnulli Nuntium scribunt cum t. sedenim tabula aerea antiqua, & Senatus consultum itidem antiquum semper o, & t. seruant. Sic & Nontiata, & Pronontiata scribunt.

Nihilo minus, diuisis dictionibus. vt Paullo minus. Multo minus. Et sic cetera similia.

Nimio plus. & Vehementer significat. sunt autem multae voces, quae nunc coniuncte scribuntur: quas tamen ratio, & antiquorum vsus monet disiuncte scribere, & pronuntiare.

Obbru-

O

OBbrutesco.
Obcubo. V. C. & ratio.
Obcumbo. V. C. ratio.
Obcurro. V. C. ratio, & Festus.
Obculit. ratio, Festus.
Obculto Glossarium.
Obfero. ratio, & Festus in Ob.
Obcensus. Festus in Ob.
Obmaneo. } Festus in Ommentani
Obmanens.
Obstipui, non } veteres codices Virg. & aliorum.
Obstupui
Obcaedes.
Obceno, as.
Obcaleo.
Obdo.
Obdormisco. } sic similia reliqua.
Obduco
Obfirmo.
Obgannio.
Obficio. } Glossarium.
Obfensus
Oblecto
Obicio. l. Abicio.
Obicis ab Obex. V. C. & Festus.
Obfusco, as. non
Offusco.
Obferre. Fest. in Ob.
Obmoueo.
Obpuuio. } Festus.
Obprobrare.
Obprobrium
Obpuuiato, a Pauio. Fest.
Obmurmuro.
Obmutesco. } Fest. in Obstinato.

Obmolior.

Obmolior. } Fest.
Obfirmo.
Obstrudo. Fest.
Obstinatus.
Obsonitauere. Festus.
Obnitor.
Obnato. } & reliqua similia.
Obraucesco
Obrepo.
Ocquinisco.
Occentauit. Cicero & Festus.
Occido & deriuata. Fest.
Occipio.
Occare. } Cicero & Fest.
Occaecare
Ocius } ἀπὸ τῶ ωκέως. Fest.
Ocisime
Ocimum } trifolium.
Offendix.
Offendo.
Officium.
Ommentans pro Obmanens. Fest.
Oppidum } Fest. vno p. Duobus tamen est pp. in tabula aerea iudiciaria apud Fuluium Vrsinum. Idem in Numonia.
Opidum
Opperiri
Orcus. Festus ab Vrgendo.
Oricia Terebyntho
Ostendo
Oufentina. Fest. marmora Capitolina. Vet. Cod. liber Appiani.

P

PArnasus, Latinis.
Παρνασσος, Graecis.
Pago.
Pango.

Penthesilea, non
Panthasilea.
Per composita quauis consonante sequente seruat τὸ r.
Velius tamen Longus sequẽte l. mauult τὸ l. scribi: vt
Pellabor, quam Perlabor. recte ne, an secus?

Pellax. }
Pellicio. } libri veteres. & velius longus.
Pellices. } Festus.

Periurus }
Periuro, non } Vaticani liber vetus Plauti.
Peiero. }

Horatius tamen dixit
„ Vlla si iuris tibi peierati. Sic Deiero apud Terentium.
Perlego. Terentius tamen Scaurus
Pellego mauult.
Percunctor, Festus. tamen Vetius
Percontor. scribit sic docti probant. Nam Contus, non cunctus pertica nautica est, qua aquae altitud inem explorant. vnde Percontor.
Peremptus, Interemptus. Festus.

Pluuo }
Pluuia } duobus uu. veteres codices.

Proicio. lege Abicio.
Pertracto.
Primnesius, non
Prymnesius.

Puppem & }
Puppim. } sic reliqua huiusmodi.

Poplicola,
Poplicula apud Vrsinum in Petronia.
Proelium, non
Praelium. sic
Proelum.
Protenus, longe.
Protinus, statim.
Preensus sine h. &
Prensus.
Progne. attamen

Procne.

Procne V. C. Virg. & marmora.

Pregnas V. C. & Grammatici.

Pheneus trisyll. Φένεος Apollonius tamē in hymno Apollinis mediam, cum αι. diphthongo scripsit.

Porsena vnico n. media longa, nisi vsurpetur.

Pretium cum t. marmora antiqua. Agraetius, Valerius Probus: Etymologia a Peritus. Nam periti pretium rebus ponunt.

Proconsul, & Proconsule, seiuncta aliquantum secunda parte a Praepositione, diserte sculptum est, & cum omnibus literis in antiquo marmore Taurini.

Pro magistratu in tabula aerea Farnesiorum Romae edita ab Vrsino. sic Magistratus, pro ue magistratu oius, vbi fortasse legendum est *magistratibus* vltimum verbum.

Pulcher est solum Latinum nomen in quo τὸ C. adspirationem requirit, Nam antiqui multi adspirationem neglexerunt, vt in Nymfa, Pilus, Pilippus.

Pudicitia cum t. nummi Iuliae Piae vxoris Seueri Imp.

Perlucidus non } Glossarium.
Pellucidus.

Perihodus. Festus, & ratio.

Q

QVadripes cum i. Grammatici, & libri veteres.

Quemq. } veteres libri, lapides & ratio non
Quamq. } Quenq. & Quanq.

Quicumq. Quaecumq. Quodcumq. cum m. sic reliqua. Romae tamen in marmore Vespasiani est

Quemcunq. cum n. si modo exemplum fideliter descriptum est.

Quatenus, qua fine. vt Hactenus hac fine.

Quatinus. quoniam

Quis, non } ratio. non enim diphthongus Graeca
Queis. } cadit in dictione Latina. Et multi Grammatici contra Probum aliter sentientem.

Quotannis } Vet. codices. Marmora. tabulae aerae.
Quot mensibus } Veteres libri.
Quot diebus }
Quotiens } Caper. veteres codices. Tabulae aereae
Totiens } Vrsini cum n. semper.

R

REdemptor. L. Emptus.
Reicio. L. Abicio.
Re sequente vocali plerumq d. admittit in compositis. vt
Redamo.
Redarguo.
Redandruo.
Redemptor.
Redeo.
Redhibeo.
Redhostire.
Rediculi fanum
Redimio.
Redimitus
Redimiculum.
Rediuia Festo
Redoleo.
Redundo.
Reddo. non Redo.
Retracto.
Robur alijs: alijs }
Robor. }

S

SAtura lex, & lanx. non Satyra } Festus. & ratio. nam Latina est non Graeca dictio.
Sacra via separatim. & si est vnum verbum. quod adparet ex deriuato nomine.

Sacra-

Sacrauienſis. L. Nihilominus, & pro conſulatus. Sic Feſtus.

Saepio, is
Saepes, is } antiquae inſcriptiones.
Saepe

Sauium, non Suauium
Sauior, aris. non Suauior } V. C.

Scaeua, ſiniſtra.

Saeuus, a, um. crudelis, crudele.

Schedia genus nauigij.

Scida.

Scirpus, non
Sirpus.

Secordia, non
Socordia } Feſtus

Secors, non
Socors }

Scaena cum diphthongo ae. V. C. & marmora antiqua. & ſi quidem aliter tradunt.

Scribſi, a Scribo. Terentij manu ſcriptus liber Vaticanae bibliothecae. & ratio.

Secutus. a, um.

Semiuſtus, non
Semuſtus.
Semianimus }

Simpulum } Feſto
Simpuuium } Alijs.

Sirius ardor.

Singilatim. Tabula aerea Vrſini. quae praeſtat ſcriptis libris aliter habentibus.

Solicito. as.

Solitaurilia.

Solliſtimum Feſto.

Sollemnis.

Solox, Solocis. Feſtus.

Spatiator cum t. Feſtus.

Spacium cum c.

Stinguo, is, non ſtingo, is.

Spintyrnix. Festus. quam alijs
Spinturnicem dicunt.
Spinther. cum adspiratione. Festus.
Stuppa. duobus pp. V. C.
Stellio. duplici ll. V. C. Virgilij. & Festus.
Stiricidium. Nonio.
Stillicidium. Festo
Suboles. V. Cod. Marmora. Glossarium. Ratio.
Subtingo
Subicis, licet, e, sit in nominatiuo Subex. qui nominatiuus si non est, esse tamen debuit.
Subcido. Glossarium.
Subcidaneum. Glossarium.
Subicio. L. Abicio.
Succenturiare. Festus.
Succidanea victima. Fest.
Subcingo
Succingulum. Fest.

Suffibulum.
Suffimentum.
Suffragat. } Festus.
Suffuerat.

Summissior.
Summussi.
Supplicia
Surregit.
Surremit.
Surrempsit. } Festus.
Suspicio.
Suspectus.
Succepit.

Submersus.
Subtemen. lege Tegimen. V. C. & Grammatici antiqui. Glossarium. & Carisius.
Subcedo. V. C. Virg. Ratio.
Succurrit. Glossarium.
Supleo vno p. V. Cod. Virgilij. & lapides. sed fieri potest, vt id adciderit de more eorum, qui consonantes

tes non geminabant. vt fecerunt in Sucus. pro Succus. & ſimilibus.

Succurrit. Gloſſ.
Summuto. Cicerone admonitore in Oratore.
Subflamen Gloſſ.
Subfulcio. Gloſſ.
Subgillatus Gloſſ.
Subminiſtro. Gloſſ. & ratio.
Subrigo. Gloſſ. & ratio.
Subripio. Gloſſ. & ratio.
Subminiſtro. Gloſſ. & ratio.
Sub. Cicero libro de Oratore de Praepoſitione Sub.
„ Adiuncti verbi primam literam praepoſiti commutauit. vt
„ Suffugit
„ Summutauit.

T

TAtienſis. lege Titienſis.
Tantundem cum n. in tabula vetere apud Sigonium lib. 2. de iure antiquo P. R. niſi ſit deſcribentis error.
Tarco, onis. vet. libri Virgilij. Latinis.
Tarchon, Tarchontis. Graecis.
Taenia.
Teſca. Varroni, & Feſto. alijs vero
Teſqua.
Tegimen. vet. cod. Virgilij. Inde per contractionem.
Tegmen.
Terybinthus. cum y. & adſpiratione in fine.
Tergeo. V. C. Virg. & Seruius. triſyllab. Nam Tergo Latinum non eſt, & quae ſunt in Calepinis exépla omnia ad ſecundam coniugationem ſunt conuertenda.
Thermodon, non Thermodoon.
Thyas & }
Thyias }
Tibur }
Tiburs }
Thomice cum adſpiratione. Feſt.

Titienſis.

Titienſis. Tribus. Feſt. alijs
Tatienſis.
Tinguo, is.
Tirreni. ſine adſpiratione. non Thirreni, aut Thyrreni.
Tiro, non Tyro: nam vox eſt Latina.
Tranſno, as. } Veteres libri Virg. & ratio.
Tranſnato.
Tranſcurro.
Transdo
Transduco.
Transfigo
Transfreto.
Tranſgredior.
Transluceo.
Translucidus.
Transfero
Tranſtuli.
Tranſlatio.
Tranſmeo.
Tranſporto.
Tranſpadani.
Tranſrhenani.
Tranſilio.
Tranſiungo.
Tranſlabor.
Traicio. } tamen
Traiectus. } a reliquis abeunt.
Tranſmitto.
Tranſmigro.
Transfundo.
Tranſmontanus.
Transſpicio.
Tranſtiberimus.
Transſulto.
Transſuo.
Transſcendo.
Transſcindo.
Transſcribo.

Tranſuer-

Transſuerbero.
Transſuerſo.
Tremeſco. non Tremiſco. V.C. Virg & aliorum formantur autem haec inchoatiua a prima perſona praeteriti imperfecti, bam ſyllaba in ſco mutata. Ideo a Tremebam Tremeſco. quidquid tradant alij.
Tropaeum. ratio. Vet. codices Virgilij. & marmora
Tuſus. non
Tunſus.
Turci, Turcorum. Suidas. Curopalates. & alij Graeci ſcriptores. Nam Pomponio Melae & Plinio
Turcae longae ab his diuerſi fuere.

V

VAllus pro Vannus } V. Codices, & Varro eadem
Vannus } fuere.
Valles }
Vallis }
Vertex } a vertendo. alij a voluendo
Vortex } a vorando, vt nonnullis placet, ſunt diuerſa ſignificatione.
Veribus a Veru. V. C. Soſipater. Marmora antiqua.
Vngo, non
Vnguo.
Vnguen, inis. vnde venit
Vnguentum.
Virectum non } Veteres Virgilij, & aliorum libri.
Viretum. }
Volſens } & } Vet. Codices Virg.
Volcens }
Vergilius. & }
Virgilius. }
Volturnalia Feſto.
Vmor, oris. } ſine adſpiratione, eſt in Peruigilio cuiuſdam poetae apud Lipſiū, lib. primo Electorum. fortaſſe more eorum: qui adſpiratione non vtebantur.
Vmeo, es }

HIC

HIC in fine operae huius, & in fundo aetatis non quidem in animo habeo Grammaticis crucem, in qua se torqueant, figere. quod respondisse olim scribunt Virgilium sciscitanti cuidam, quidnam aenigmatica illa in Bucolicis quaestione designaret his versibus.

" Dic, quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
" Tris pateat Caeli spatium non amplius vlnas.

non, inquam, id specto: Sed serio ludens habere volo solicitos, & sibi caput scabere aliquantisper meos Iordanum, & Marcellum fratres Arnutios: dum meditãtur & vestigant: quid nam responsuri sint, si quis interroget, quod nam sit, quid ue significet apud Eusebium quincto Olympiadis ducentesimae secundae anno Prouerbium Quinctianum his verbis ab eo relatum.

" Casius seuerus orator egregius. qui Quinctianum illud pro-
" uerbium luserat.

Quod nam, inquam, est: & quid significat Quinctianum prouerbium?

FINIS.

SYLLABVS.

SIVE TABVLA IN LIBROS OPINIONVM.

A

B

C

D

E

F

Galleacius

G

H

I

Iapetus

Labem

L

M

Manfredus

Perti-

Q

R

S

T

REGISTRVM.

†. ††. A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. Aa Bb.

Registrum lib. de Orthographia.

✠ A B C D E F.



Fr. M. Antonius Riposus Inquisitor Alexandriae, & Aquarum uidit, & concedit ut imprimatur.

Alexandriae Statiellae,
Apud Herculem Quinctianum. 1598.

ERRATA.

Ex archiatris pag. 2. 3. pag. 4. uer. 4. Longe. 7. uer. 19. togae. pag. 24. uer. 20. An miserari. 26. uer. 31. Opponit alijs caracteribus. pag. 35. uer. 3. ἔνθα 36. 15. περιοίκων. ibid. 22 Strabo. 37. 13. ἠπειρώτων. 38. 29. limitibus. 53. uer. 21 Claudianum. 54. 10. Augustus alijs caracteribus, usq. ad Quae uniuersa. 65. uersu 7. & Sempronius tradunt fuisse. pag. 69. uer. 10. Suspicor. pag. 71. uer. 12. alterius, nempe. 88. uer. 21. καὶ πατήρ. Ibid. uer. 25. ὁρκίζω. 90. Mercurij, cuius. pag. 90. uer. 35. libri Definitionum? 91. uer. 5. τοῖς βιβλίοις. Ibid. uer. 36. ὑπερηφανος φρασις. pag. 93. uers. 31 Cicereius. pag. 96. uer. 10. Neq. solum contingit hoc in horum nominum casibus: sed in alijs quoq. aliquot uocibus idem usu uenit: praesertim in uerbo Iacio. in quo composito τὸ ι. solum remanens praepositionis antecedentis ultimam uocalem, cum poetis est libitum, longam praestat. ut in illo Virgilij uersu. pagina 104. uers. 1. Proptera. ibidem uersu 22. nullo modo. & reliqua sequentia, alijs caracteribus, ibidem ultimo uersu, Opinionum. pagina 105. uersu 17. dico ego, legitur. pagina 109. uersu 27. praeterea. pag. 120. uer. 6 penitus deducta. idest. Ibid. uer. 7. Sed si aliquantulum Ibid. uer. 9. significationem. ueluti. Ibid. uer. 10. diuidicula alio deducta. pag. 131. uers. 10. quasi dedita opera domi. 134 uer. 33. illi. 135. uer. 4. superabundat. 136. uer. 2. Satirarum 138. uer. 9. & 10. fuisse sublimiorem, ibid. uer. 26. Reddit timidiorem. pag. 139. uer. 3. aliter IX. pag. 145. uer. 31 cap. xij. testatur, 148. uer. 7. adtentius. 152. uer. 9. induntur: ibid. uer. 24. Clysterio. pag. 165. uer. 11. additis alijs doctis & el gantibus uersibus. 167. 16. mutandam. ibid. uer. 17 alijs. 169. uers. 29. in discendo. 170. uer. 29. restitutus, 171. uer. 21. Comacensi: 174. in fine. Ioannis. 177. uer. 8. quereretur. 178. uer. 32. iudices. 181. uer. 28. parci ne dicam, an sordidi? 185. uer. 4. quo Dis atq. 190. uer. ult. Persephones. 191. uer. 6. Scarampe. 192. uer. 27. Vt lambit.

ERRATA BENDINELLII IN P. CORNELII SCIPIONIS AEMYLLIANI VITA.

ξυρός τις ἀνόνη.



MVTINAE,

Apud Paulum Gadaldinum, & Fratres.
M. D. LXX.

CAMILLVS COCCAPANIVS ANTONIO BENDINELLIO.

PAVCOS ab hinc menſes cum tu omnia huc ſtudia contuleris, ut Placentini ciues publicam tibi liberorum ſuorum honeſtiſsimis artibus inſtituẽdorum curam reſtituerent, quòd ita ratio rerum tuarum maximè poſtularet; ubi primùm illos, qui bus antea pulchrè notus fueras, hanc tibi Prouinciam liberè denegantes eandem mihi uix petenti ultro detuliſſe intellexiſti, ob hanc offenſionem, ac repulſam, quam ægrè fers, tanto diruptus es dolore, atq; inuidia, ut quodcunq; poſthac labefactare crederes exiſtimationẽ meam, ira uehementi correptus, atque incitatus, maledicta congerens in me contra quàm ius erat, ſemper effuderis. Itaque tuus in primis filius, abiecta prorſus uerecundia, tuam ſecutus authoritatem, eam ad me ſcripſit epiſtolam, qua tuum quidem os habere, atq; obtrectatione laudis prorſus imitari uiſus eſt. cui tamen epiſtolæ nihil ego reſpondi, ſatius omnino fore ducens adoleſcentem, qui propter ætatem peccaſset, contemnere; cum præſertim ſic aſsiduis rerum ſuſceptarum diſtinear occupationibus, ut in eiuſmodi nugis mihi ſit nefas otium fruſtra cõterere. Tu uerò interea ab incœpto nõ deſtitiſti, donec imprudẽs negotium cõficeres, ut ſcribis· λοιμὸς μετὰ λιμόν. Quare litteras ad me tuo nomine ſcriptas V. Id. Aprilis eas miſiſti, quæ nec iſta, quam agis ætate, nec ijs, quibus deditus es ſtudijs hominum doctorum, ac proborum iudicio dignæ fuerunt iudicatæ: erant enim omni maleuolẽtiæ labe ſuffuſæ, conuicio, contumeliaq; turpiſsima uſque adeò refertæ, ut etiam defunctos, qui ſenſu carent omni, allatrarint. Id præterea artificium adhibuiſti; ut xx. dies ante a tuis hæ iuſſu tuo publicatæ fuerint, quám mihi ipſi redditæ: quod quidem modeſtiam, pudoremq; tuum ſatis omnibus apertè declarauit. Quibus poſtea litteris (inuitus licet, quòd aliter fieri non oportuit) diligenter ita reſpondi, ut & parem tibi laudationem rependerim, & mores tuos quaſi in tabella deliniare contenderim. Sed quia tuæ litteræ mihi uidentur illud ſpectaſſe precipuè (nam eò tuæ cogitationes intenduntur omnes) ut ego hoc publicè profitendi munere parum dignus habear, ſi quidem me rudem maximè, rerumq; omnium ignarum nutu, ac ſignificatione appellas, quin

me despiciens, ac pro nihilo ducens Periscellida Pictoris nomine translato uocas; ego constitui te uanum prorsus, ac mendacem omnibus indicare, tibiq; ipsi luce clarius ostendere, me & non indignè à summis illis uiris, qui me commendarunt, laudatum; & à ciuibus Placentinis meritò acceptum, meritoq; huic officio publicè legendi præfectum fuisse. Id autem quò facilius ipsemet existimare possis, operæ pretium duxi fore (quod nemo non probabit) si tuis a me scriptis accuratè perpensis, & castigatis inscitiæ tuæ (quod affirmaram studiosè me facturum) designationem quasi pennicillo quodam exprimerem; qua quidem perspicies (nisi mea me fallit opinio) de me quantum ego in hac arte pingendi polliceri habeam. Et quoniam P. Scipionis uita à te conscripta una te maximè uideo gloriari, & iure, neq; enim aliud quidquam in uita tua, quam ultra annos sexaginta produxisti, potuisti præstare, nisi breues illas regulas, & scansionem ad usum puerorũ lingua latina erudiendorũ editas, quibus nemo unquã præter te usus est, habere pro magna re uelimus; Iudicium de tua doctrina facturus omittam reliqua, ut quorum ne ipse quidem meminisse uelles; at Scipionis uitam ut rem aliquanto grauiorem excutiam; quam iam ter edidisti, primum Florentiæ ante annos uiginti duos, deinde mox aliquot in locis emendatam Mutinæ, postremo superiore anno propè totam refectam Lucæ; atque ea ita superbus incedis, unumq; te suspicis, ut hoc uno ingenij tui monumẽto temet ijs, qui plurima, eaq; nobilissima in omni genere doctrinæ ediderunt, ante ponas. Quid autem ego ipse de ea iudicem, tredecim tantum primis pagellis eius excussis, in quibus rem usque ad Scipionis consulatũ priorẽ perducis, paucis exponam; reliqua, quæ sunt innumerabilia, si me lacessiueris, tempore suo patefacturus.

Ego igitur in uniuersum sic sentio, te, cum de Scipione scripsisti, res Scipionis, non ut uideris uelle, scripto tuo nobilitasse, sed prorsus infamasse; quod ipsum primum testimonio ipsomet tuo ostendam, deinde re ipsa etiam demonstrabo. Iudicium tuum apparet ex indice libri, qui est eiusmodi. P. Scipionis uita, uel dispersę potius eius reliquiæ ex multis probatissimorum auctorum scriptis collectæ, et in ordinem redactę per Antonium Bendinellium. Cum te reliquias uitæ Scipionis in ordinẽ redegisse scribas, profecto eas te infamasse significas, id enim apud Latinos significat in ordinem redigere, si testi credimus Prisciano libro 18. In ordinẽ, inquit, redactus est, hoc est inter uiles, & abiectos cõnumeratus (ἐγκύκλιον ποιεῖν dicũt Græci) Liuius libri. xxx. Tribuni plebis in ordinem redacti pro contemptissimis habiti sunt. In eandem autem significationem usurpat sæpe Liuius etiam in ordinem cogere. Quare in ordinem redactæ, si Priscianũ audiueris, erunt inter uiles & abiectas relatæ. Quanquam autem hoc fortasse noluisti, tamen tantam uim habet ueritas, ut etiam nolentes sæpe τὰ ὄντα loqui compellat. Et certe ita scripsisti, ut

uerè

uerè possimus dicere, te Scipionem quanquam uirum clarissimum in ordinem coegisse. Neq; enim aut genus ipsum scribendæ uitæ recte cócepisti, aut in partibus eius singulis explicandis ita te gessisti, ut laudem feras. Primum enim in colligendis Scipionis actionibus es lapsus, quòd putasti, quascunque actiones, aut dicta Scipionis etiam leuissima esse in historiæ seriem referenda. Res autem ita habet, ut grauissimum quidque tantum, & cognitione dignissimum ex multis sit secernendum. Vt enim si uiuentis hominis uitam scriberes, non quid quoque die ille aut diceret, aut ageret, colligeres; sed quæ ad studia, actiones, et uirtutes eius insigniores prodendas pertinerent; sic cum uitam ueteris Imperatoris restituas, non si copiam singularum etiam eius actionum nactus sis, ea utaris; sed adhibito iudicio, quæ illustriora re, atque exemplo sint, seligas; eaq; in historiam referas. Quod diligenter fecit summus uir ille, cui te temerè anteponis. Accedit etiam illud, quòd aliud est scribere historiam populi Romani, aliud uitam Imperatoris Romani. Qui historiam populi scribit, is populum exornandum sibi proponere, atq; omnia domi, forisue ab eo acta, et quibus de caussis, & per quos acta sint, persequi debet. Qui uitã Romani Imperatoris scribit, is genus, parentes, studia, amices, dicta, factaq; eius illustriora, demum magistratus captos sigillatim exponet: bella uero per eum populi Ro. nomine gesta multo minore apparatu narrabit, quàm ille ipse, qui historiam populi scribit: si quidem bella sunt populi, non eius ducis, per quem populus ea gessit. Itaque in caussis bellorum perscrutandis, & initijs tradendis, & in singulis partibus exponendis, nisi ad dignitatẽ ipsius ducis pertinuerit, erit parcior. Quare hac de caussa non eadem copia res à Fabio, Marcello, Flaminino, Paullóque gestas narrauit Plutarchus, atque Liuius; contrà uero multa de priuatis eorum studijs attulit Plutarchus, quæ prætermisit Liuius. Quod cum ipse non intelligeres, eadem diligentia bellum Punicum, & Numantinum à Scipione confectum tibi explicãdum sumpsisti, qua Apianus in bello Africano, & Hispanico, quod populus Rom. gessit, exponendo fuerat usus. Quod non fecit is, quem tu contemnis. Quæ uero ipse sine ratione aut addideris, aut omiseris nunc uidendum est.

ADDITA QVAE SVNT SVPERVACAnea; omissa, quæ necessaria.

Pag. 11. uer. 9.

TErtius enim tum agebatur annus, ex quo Romani Perseo Macedonum regi. *Ab hoc loco per duodecim uersus narras caussam belli Perseo regum Macedoniæ moti, & quemadmodum post Crassum, Mancinum, Philippum sit mandatum Paullo Scipionis patri, & qua de caussa quod*

non erat necessarium uitam Scipionis scribenti, qui in eo bello tyrocinium miles patris posuit. Nisi uero putes, quotiescunque de stipendijs alicuius gregarij militis agimus, semper caussas, euentusque bellorum, in quibus ille uersatus est, esse exponendas, quo nihil esse potest absurdius.

Pag. 12. uer. ij.

Perseus interim fugæ princeps. *Ab hoc loco per quinquaginta fermè uersus, superuacanea omnia sunt, quæ persequeris. Continent enim fugam, & captionem Persei, & reliquias uictoriæ Macedoniæ; quæ historiam populi Romani, aut certè Paulli Imperatoris narrãti conuenirent; at Scipionis militis uitam scribenti nequaquam. Adde, quòd integram Liuij paginam ijsdem uerbis in tuã historiam ineptè transtulisti; & centonem historiæ, non historiam confecisti.*

Pag. 13. uer. 29.

Scipio non multo post in Græciam. *Hæc & sequentia per uersus circiter quadraginta ad uerbum ex Liuij historia sumpta sunt ridicule, quia descriptionem Græciæ continent; quam Paullus cum filijs peragrauit interea dum legatos Romæ expectauit: quæ & si aliqua ex parte Scipionem attingunt, non tamẽ aut tam diligenter, aut uerbis alienis fuerunt narranda, caret enim res exemplo.*

Pag. 16. uer. 1.

Hæc profecto ratio confirmatioq; doctrinarum, & si naturæ ipsius habitu prope diuino per se moderatus, & grauis. *Hi quatuor uersus temerè huc ex oratione Ciceronis pro Archia inculcati sunt; & eorum sententia redolet potius philosophiam, quàm historiam.*

Pag. 16. uer. 4.

Libros illos quidem à xenophonte non ad historiæ fidem scriptos. *Addendum erat, de uita aut de disciplina Cyri, alioquin obscurum est, qui libri sint.*

Pag. 16. uer. 12.

Cuius abstinentia, ut cęteras innumerabiles illius, eximiasq; uirtutes. *Quæ de abstinentia Paulli patris, & ditato Romano ærario per aliquot uersus dicuntur, ad Paullum pertinent, non ad Scipionem, nisi forte laudationẽ Scipionis scribas, atq; aliquid ad eum gloriæ ex uirtute paterna deriues. Adde quòd uerba sunt Ciceronis ex libris de officijs huc sine ratione translata.*

Pag. 17. uer. 24.

Idem ferè in dicendi facultate eueniebat. Nam & si plurimum tribuebatur ambobus, dicendi tamen laus erat in Lęlio illustrior. *Hæc tota pars, quæ iudicium continet de Lælij & Scipionis eloquentia sumpta est ad syllabam ex libro Ciceronis de Claris oratoribus, ridicule.*

Pag. 18. uer. 13.

Nam præter cętera nihil difficilius esse dicebat, quã amicitiã usque ad extremũ uitæ diem permanere. *Quæ finxit Cicero dicta à Scipione in dialogo de amicitia pro animi sui arbitrio, ut mos est dialogos scribentium, ea ut uerè dicta, in historiã cõtulisti. quanta iudicii cum laude ipse uideris; si autẽ sermones habiti in dialogis in historias referendi sunt, miror, cur non integros eius sermones de senectute cum Catone, & de amicitia cum Lælio habitos apud Ciceronem eadem ratione descripseris.*

Pag. 19. uer. 12.

Cum Athenienses Romam legatos de maximis suis rebus miserũt, Carneadem Academicũ, Critolaum. *Quod inquis Scipionem audiuisse legatos missos ab Athenięsibus, id parũ ad rem pertinet, neque enim ex ea auditione aliquid elicis, quod priuatim ad Scipionem pertineret, neque hos solos audiuit Scipio, aut solus. Quare hoc rectè omissum, ab eo, quem tu despicis.*

Pag. 19 uer. 25.

Cum interim res in Hispania Romanis non satis prosperè procederet. *Cum hoc bellum sit in quo Scipio cum publico legationis munere uersatus sit, paucis uerbis uidebatur ratio eius aperienda. Nam si hoc fecisti, cum de tyrocinio eius scripsisti, multo magis facere debuisti nunc, cum de legatione eius agas.*

Pag. 19. uer. 34.

Pręter cætera facinora, quæ in eo bello præclara edidit, illud ad Intercatiam maxime memorabile fuit. *Si præter Intercatiense facinus alia edidit, cur non ea exponis? si quidem alios reprehendens, scribis.* Non putabam eum, qui uitam et res gestas alterius scriberet, officio satisfecisse suo, si unum, aut alterum egregium eius facinus persequeretur. *putasq; hoc dicendi genus oratoris potius artificium ostendere, quàm historici officium. Neq; uides, si hoc est uitium, eo te laborare, qui cum multa scias, unum tamen tantum commemoras.*

Pag. 20. uer. 10.

Armis habilibus magis, quàm decoris, media militaris statura. *Hæc ad uerbum dicuntur de Torquato pugnante cum Gallo à Liuio libro 7. tu uero quasi idem esset Scipio, ac Torquatus, à Torquato ad Scipionem ineptè transtulisti.*

Pag. 20. uer. 21.

M. etiam Alienum Pelignum scuto suo protexit. *Hoc narrat Cicero Tusculana quarta, sed non definit uter Africanus hoc fecerit, aut quo in bello; quare non fuit temere Aemyliano ascribendum, neque in bello Celtiberico potius*

tius

tius quàm in Africo. & propterea omissum est ab illo nostro, quem omnes præter te, aut tui similes laudant.

Pag. 21. uer. 29.

Quo ubi aplicuit, nihil ei potius fuit quàm ut Masinissam conueniret. *Scipionem ad Masinissam uiuentem uenisse bis inuenimus. primùm in legatione, cum ex Hispania missus est à Lucullo, superiore anno; iterum cum tribunus militum Manilio consuli uenit in Africam. prioris aduentus testis est Appianus, & Valerius; posterioris solus Cicero, in sexto de republica, qui, ut somnium Scipionis fingeret, finxit etiam aduentum eius in Africam, quem falsum esse uerba Scipionis et Masinissæ ab illo ficta ostēdunt, quæ nō cadunt in eos, qui paullo ante se inter se, et uidissent, et allocuti essent; sed conuenirent eis, qui tum primùm mutuo colloquio fruerentur. Cicero uero immemor prioris aduētus, finxit ex uerisimili, Scipionem, ubi primùm uenit in Africam, priuato officio Masinissam familiæ suæ amicissimum inuisere uoluisse, ut occasionem somnij nancisceretur more Platonis. Tu uero omnia hæc, quæ ficta sunt, quasi uera essent, in historiam transtulisti, scilicet aduentum Scipionis secundum ad Masinissam sine caussa, lachrymas Masinissæ, sermones utriusque, & somnium; quæ etiam si uerus esset aduentus; tamen quia à poeta, uel certe imitatore sunt conficta, ab historico fuerunt negligenda; Huic autem malo ut aliqua ex parte mederetis, addidisti, uocem. Iterū, quæ non est apud Ciceronem. Num uero tibi hæc uerba conuenire uidentur Masinissæ Scipionem post paucos menses reuisenti?*

Ad Masinissam ut uenit Scipio, complexus eum senex collachrymauit, aliquantoque post suspexit in cælum, & grates tibi, inquit, ago summe sol, uobisque reliqui cælites, quod antequam ex hac uita migro, conspicio in meo regno iterum P. Corneliū Scipionem, cuius ego nomine ipso recreor, & quæ sequuntur.

Pag. 22. uer. 7.

Hinc Cicero occasionem arripuit, ut Scipionis somnium comminisceretur. *Quæ de Scipionis somnio à Cicerone conficto, et libris Ciceronis, in quibus Scipio de rep. disputare inducitur, per multos uersus infarcis; omnia in historia superuacanea sunt, ut ficta, & nihil ad rem pertinentia.*

Pag. 22. uer. 23.

Consules acceptis trecentis, quos Carthaginensibus imperarant, obsidibus. *In hoc bello Scipio fuit tribunus militum, & propterea eæ huius belli partes narrandæ sunt tantum, in quibus Scipio operam nauauit aliquā; reliqua, quæ consules sine Scipione egerunt, persequi, est eius, qui belli integri historiam, aut eorum consulum uitam scribat. Quod cum ipse non uideris, temere omnes res gestas à Manilio, & Censorino consulibus ex Appiano attulisti.*

Itaq;

Itaq; sequentes non uersus, sed paginæ multæ inanes sunt, & omittendæ, ut sunt ab illo nostro omissæ, quod rem nullam Scipionis consilio, aut uirtute gestam contineant.

Pag. 23. uer. 10.

Patebat Carthago in circuitu. *Descriptio situs Carthaginis, quam hic ex Appiano, et Strabone diligentissimam attulisti, bellum Punicum scribenti, non Scipionis Tribuni militum in eo bello uitam narranti conuenit. & si quid sit, quod ad rem aperiendam ex ea repetendum sit, id opportuno loco, breuiter, ut noster ille fecit, inseri potest. Verum tu, dum Appiani Africam historiam uertis, imprudens in has ineptias incidisti. Non est autem historici officium historicos uertere; sed iudicio adhibito, quæ personis, locis, & temporibus conueniãt, ab eis mutuari, eaq; tantum memoriæ prodere.*

Pag. 26. uer. 32.

Distabat Nepheris à Carthagine. *Descriptio urbis Nepheris, quam ex Strabone attulisti, necessaria non est: sit argumento, quòd Appianus bellum Punicum de industria scribens eam omisit: neq; enim omnium urbium descriptiones necessariæ, neq; in omni historia.*

Pag. 29. uer. 9.

Hac quidem graminea corona *Quæ de coronis, & in primis de graminea scribis ad uerbum sumpta à Gellio l. 5. c. 6. & Plin. lib. 22. cap. 4. quæ item de L. Sicinio Dentato, & Augusto iam satis decantata præter rem affers, multis nominibus absurda hoc loco sunt.*

Pag. 33. uer. 31.

Piso tandem ab Hippone Regio, quam per totam æstatem obsederat, Vticam in hiberna turpiter est compulsus. Erat hæc urbs inter Vticam, & Carthaginem. *Hic digrederis de Hippone Regio urbe Africæ: & quidem, ut mihi uidetur, inconsulte. primùm enim loqueris de Pisone consule, qui rem gessit absente Romæ Scipione, deinde ea dicis, quæ ad bellũ hoc non pertinent; ut hæc urbs fuisset ornata ab Agathocle Syracusano, ut pòst D. Augustinum Episcopum habuerit, ut à Vandalis expugnata sit, quæ cum post multa sæcula euenerunt; tum neq; Scipionem, neq; bellum, neq; Romanos ullo modo attingunt.*

Pag. 35. uer. 4.

Hoc tempore cum ab eo uetus quidam assectator. *Hoc tradit Cicero in Verrina septima. sed uter Africanus hoc dixerit, aut fecerit, non definit. Itaq; quod uterq; consul in Africam uenerit, ibiq; bellum gesserit, utrum significare uelit, obscurum est.*

FALSA CONTRA AVCTORES, AVT VE-risimilia sine auctoribus.

ALtero præterea uitio laboras, & eo grauissimo, quòd multa falsa asseris contra scriptorum auctoritatem, multa uerisimilia fingis sine eorum auctoritate, ut hæc quæ sequuntur.

Pag. 9. uer. 2.

Plutarchus Aemyliam gentem à Mamerco Numæ regis filio dictam scribit. quem Numa & Mamercum propter Mamercum Pythagoræ filium, & Aemylium appellauit, ut alluderet ad Pythagoræ in dicendo suauitatem, atq; gratiam, quę Græce αἱμυλία dicitur. *Falsum est, hoc scribere Plutarchum. Nam in Paullo scribit ita.* Primum Aemyliorum, & qui generi nomen Aemyliorum reliquit, Mamercum fuisse, Pythagorę filiũ propter αἱμυλίαν sermonis, & gratiam Aemylium appellatum, nonnulli eorum dixere, qui regis Numæ disciplinam in Pythagoram contulere. *in Numa uero ita.* Non nonnulli dicunt, cum Numę quatuor filii essent unum ab eo Mamercum appellatum propter Pythagoræ filium, ab illo uero gentem Aemyliam appellatam. *Primum ergo Plutarchus non inquit, Mamercum esse á Pythagoræ æmylia Aemylium uocatum, neque Aemyliam gentem a Mamerco Pythagoræ filio genus duxisse constanter tradit. atque cum hanc historiam ex aliena sententia recitet, ipse satis se eam non probare ostendit. Falsa autem ea est certè. cum satis constet, Dionysio, Liuio, & cæteris auctoribus, Pythagoram uixisse regnante Seruio, idest aliquot post Numam sæculis. Fieri autem potuit, ut gens Aemylia à Mamerco Numæ filio traxerit originem, uerum non caussa Pythagoræ, quem uidere non potuit Numa.*

Pag. 10. uer. 15.

Africanus ab euersa priore consulatu Carthagine dictus est. *Falsum est, Scipionem Africani cognomen inuenisse ab euersa Carthagine. Nam a deuicta Africa inuenit, quam non minus subegit, quàm euertit Carthaginem. Si quidem Africam fecit prouinciam populi Romani; quo nullum certius uictoriæ potest esse indicium. Neq; urbs deuicta efficiebat, ut aliquis cognomen deuictæ regionis ferret. alioquin idem Scipio subacta Numantia se Celtibericum appellasset, non Numantinum.*

Pag.

Pag. 10. uer. 23.

Cum iam inde à pueritia eximię indolis, ac uirtutis specimen prę-
seferret. *Hoc uerisimile est; sed tamen nemo tradidit.*

Pag. 10. uer. 33.

Apud quos Scipio cum Q. Fratre in iis exercebatur, ad quę natu
ra magis factus, propensusq; uidebatur. *Verisimile item, sed caret auctore.*

Pag. 10. uer. 30.

Ex longinquis regionibus accersendos curauit, et omnes magna
mercede conductos. *Verisimile hoc etiam, sed auctoritate confirmari non potest.*

Pag. 10. uer. 21.

Q. Aelio Pæto Tuberoni. *Fieri potest, ut Q. Tubero ex Aelijs Pætis fuerit. tamen nemo tradidit.*

Pag. 11. uer. 2.

In quibus quidem exercitationibus, ac studiis cum maiorem Sci-
pio pueritię suæ partem consumpsisset, tantum profecit, ut &
omnes, quibus notus erat &c. *Hæc non minus ex coniectura à te scri-
pta sunt, quàm illa ab illo, quem tu reprehendis.* Reliquum omne tem-
pus partim in legitimis stipendiis conficiendis, partim in re-
ctissimis litterarum studiis concelebrandis, quantum perspici
potest coniectura, traduxit. *Hoc tantum differt, quòd tu hæc quasi ex
certo sumpta auctore affirmas, ille coniecturam suam exponit, quod sæpe sum-
mos scriptores facere animaduertit. Et tamen cum ita sit, audes scribere, histo-
ricum res certas afferre debere, non coniecturas suas prodere. Quibus remotis
non intelligis integram antiquitatis cognitionem sublatum iri. Cicero quidem
cum historiam de claris oratoribus scripsit, quid aliud, quàm coniecturas de ue-
teribus oratoribus suas attulit? Non ergo historico, quòd coniecturis nitatur,
est obiiciendum; sed quòd malis, & non rectè conceptis.*

Pag. 11. uer. 20.

L. Aemylium patrem iterum consulem ad id bellum finiendum
creauerunt, & illi Macedoniam extra ordinem decreuerunt.
Hoc repugnat Liuio, qui ita scribit libro 44. Consules creati L. Paullus
iterum, & C. Licinius Crassus. omnia ut maturius agerentur, bel
li Macedonici stimulabat cura. Itaq; designatos consules extem
plo sortiri prouincias placuit, ut utri Macedonia cõsuli euenis-
set, sciretur. Aemylio Macedonia, Licinio Italia euenit. *Ex his ap-
paret omnia ordine esse acta; neque nominatim Aemylio Macedoniam esse mã-*

datam, sed cum collega sortitum esse. Tu uero Liuium non legisti?

Pag. 15. uer. 5.

Quod quidem ut facilius præstare posset, in urbe non luxui, non inertiæ se corrumpendum dedit. & quæ sequuntur de studio litterarum. *Omnia ex uerisimili sumpta sunt, non ex certa historia.*

Pag. 15. uer. 7.

Quod adolescentię reliquum fuit, vbi per negotia tum publica, tum priuata licuit. *Erat natus tum Scipio annos plus minus octodecim: quomodo autem publica negotia tractare potuit in urbe, si ea ætate adolescentes rempublicam non attigerunt?*

Pag. 15. uer. 20.

Scipio (post triumphum patris) in stoica disciplina adolescentiam posuit preceptore Metrodoro pictore, & philosopho excellentissimo. *Item.* Scipio domi tantum opera Metrodori est vsus. *Falsum est, Scipionem habuisse præceptorem Metrodorum. Verba Plinij, unde tu sumpsisti, hoc indicant. lib. xxxv. cap. xi.* Cum L. Paullus deuicto Perseo petiisset ab Atheniensibus, ut sibi quàm probatissimum philosophum mitterent ad erudiendos liberos, itemq; pictorem ad triumphum excolendum, Atheniẽses Metrodorum delegerunt, professi, eundem in utroq; desiderio præstantissimũ, quod edicto quoq; Paullus indicauit. *Num tibi uidetur scribere, Scipioni Metrodorum præceptorem a patre datum? minime. Est enim sententia hæc Plinij, Cum Paullus uicto Perseo Athenas uenisset (ut uenit Græciam peragrans teste Liuio) petiit præceptorem ad liberos erudiendos, qui erant hi liberi, non P. Scipio, & Q. Fabius, qui supra annos septemdecim nati erant; sed illi duo pueri ex secunda uxore suscepti, quorum unus paullo ante triumphum, alter post triumphum est mortuus. Tu uero uerba Plinij inferis, quasi ad Scipionem pertineãt: aut historiam scribere sit centones quoscunque scriptorum temere cõcinnare. Itaque recte hoc omissum est ab illo, quem tu gloriæ summæ caussa lacerandum sumpsisti. Itaque quod dicis illum scribere, Scipionem patris triumpho non affuisse, falsum narras. sed tu libidine maledicendi occœcatus non animaduertisti.*

Pag. 15. uer. 31.

Poeta quoque haud contemnendus euasit. Versus enim ornatissimos ex tempore fundere, & scribere solebat. Vnde gaudens aliquando præteritis laboribus, ita cum patria locutus est.

Desine Roma tuos hostes.

Nanque tibi monumenta mei peperere labores. Alio loco.

A sole oriente supra Mæotis paludes.
Nemo est, qui factis me æquiparare queat.

Hæc sumpsisti e secundo de Finibus, ubi Cicero Africanum priores duos uersus cum patria locutum scribit, & libro quinto Tusculanarum, in quo Africanum gloriatum posterioribus duobus uersibus narrat. Verum dum hoc fecisti, pluribus te erroribus, iisq; fœdissimis implicuisti, quos enumerabo, si potero. Primus est, quòd uersus a Poeta confictos, & Poeticè Africano tributos, pro ueris ipsius Africani uersibus attulisti. Sic enim ais. Versus ornatissimos ex tempore fundere, & scribere solebat. *Secundus, quòd hoc argumētum esse uoluisti, Africanum poetam non contemnendum fuisse. sic enim etiam sequeretur, ut Menelaus, & Agamemnon, quos sæpissime loquentes fecit Homerus, essent poetæ non contemnendi. Tertius, quòd pro uersibus ad rem non pertinentibus eos, qui pertinebant, omisisti, ut hemistichium, quod est in tertio de oratore.* Desine Roma tuos hostes, Testes sunt campi Magni. *Quartus, quòd si uersus poetarum, in quibus gloriatur Africanus, erant ponendi; illos etiam ponere debuisti.*

Si fas cædendo cælestia scandere cuiquam est,
Mi soli cęli maxima porta patet.

Qui sunt Ennii Africanum ita loquentem facientis, ut scribit Seneca epistolarum lib xix. & Lactantius libro primo, cap. xviij. Quintus, quòd cum omnes hi uersus Ennii sint, tu eos Africani esse scribis. Sextus, quòd cū Cicero ab utro Africano dicti sint, non exprimat, tu eos Aemyliano ascripsisti. Septimus, quòd hos uersus ab Aemyliano dici non potuisse non sensisti; quia Ennius, qui cum superiore Africano uixit, & in eius sepulchro situs est, Aemylianum Africani nepotem uidere, atque de eo scribere non potuit. Octauus, quòd hos uersus ab Africano maiore dictos esse non animaduertisti in iis uerbis. Desine Roma tuos hostes. Nanque tibi monumenta mei peperere labores. Testes sunt campi Magni, quos Africa terra politos. *Sic enim explet hunc uersum Nonius. Significat enim locum, in quo Scipio maior in Africa summo prælio cum Asdrubale, et Syphace decertauit. ex quo bellum Punicum secūdum confectum est. Quem locum Polybius* τὰ μεγάλα πεδία *uocat, Liuius campos Magnos; quæ res ad Aemylianum nullo modo traduci potest. Ex quibus apparet, quàm sit putida, & puerilis ista tua diligentia, qui quæcunque de Africano legisti, temerè ad Aemylianum transtulisti. Quod non fecit ille, cuius tu iudicium singulare contemnis.*

Pag. 16. uer. 12.

Paullus censor è uita decessit. *Falsum est, Paullum in censura mortuum: nam præterquam quòd hoc nemo tradidit, neq; etiam accidisse apparet ex eo quia*

lustrum fecit, quod in fine censuræ fieri solet, & si in censura mortuus eßet, collega eius abdicasset. atque utrunque in Fastis Capitolinis eo anno integris notatum esset. Mortuum etiam in censura non fuiße, Plutarchi uerba te docebunt, si diligenter attenderis, aut intellexeris.

Pag. 16. uer. 34.

P. Rutilium consulem. *Rupilium scribendum. è fastis Capitolinis.*

pag. 20. uer. 7.

Prius sciscitatus consulis uoluntatem. *Hoc sumpsisti ab Historia Torquati, qui pugnauit cum Gallo. est autem uerisimile, sciscitatum esse, non tamen Appianus, qui est maximus huius pugnæ auctor, quem tu ad uerbum uertendum sumpsisti, aut quisquam alius id prodidit.*

pag. 20. uer. 21.

Rediit ad Lucullum, a quo tandem pacatis omnibus Celtiberię populis. *Falsum est, Lucullum pacaße omnes Celtiberiæ populos. reliquit enim bellum in Celtiberia successoribus suis gerendum. & maximè Numantinum, nã & Numantia erat in Celtiberia.*

pag. 21. uer. 23.

L. Quinctio Flaminio. *Flaminino scribendum ex Fastis Capitolinis.*

pag. 21. uer. 29.

In Africam cum Manilio, & Censorino, Coss. traiecit. *Traiecit cum Manilio tantum, cui erat tribunus militum ad quartam legionem, non cum Censorino, cui Claßis mandata erat, ut scribit Appianus.*

pag. 31. uer. 16.

Gulussæ natu maximo. *Micipsæ fuit scribendum. nota historia.*

MALE APVD SCRIPTORES INTELLECTA, & prauè de Græcis versa.

TErtium crimen ea continet, quæ tu aut apud scriptores non intellexisti, aut malè uertisti. Sumam ergo Plutarchum, & Appianum in primis, unde tu hanc historiam mutuatus es, & ostendam te sæpe cum uerbum uerbo reddere uoluisti, eos non intellexisse, aut latius uagatum fidem, quam pollicceris, non præstitisse.

pag. 10. uer. 25.

Ab ipso patre Romanis disciplinis, quibus non mediocriter erat instructus, erudiri cæpit. qui postquam ea filium, quæ illi tradere ipse potuit, á se arripuisse cognouit, Græcis ut etiam artibus institueretur, studiose curauit. *Plutarchus in Paullo, unde hæc sumpsisti*

ad uer-

ad uerbum ita scribit: Reliquum tempus quieuit, exercens filios patria quidem disciplina, perinde, ut ipse exercitatus fuerat, Græca uero ambitiosius. nam grammaticos, & sophistas acciuit. *Attende autem, quod non inquit, Paullum docuisse filios, Sed exercuisse, quod est magistris adhibitis erudiendos curasse. Nam quemadmodum exercuit filios Græca disciplina, sic patria. at Græca exercuit adhibitis grammaticis externis, quod erat ambitiosius, ergo & patria, patriis magistris, ut erat moris. Id ita esse apparet ex eo, quod sequitur.* Paullus filiis, dum exercerentur, affuit, nisi quid publici negotii impedimento fuit. *Neque uero, qui quoad per publicas occupationes licet, adest, dum filii exercentur, is erudit filios, sed curat erudiendos. &* ἀσκεῖν *est exercere, non erudire.*

pag. 11. uer. 32.

Eumque quod esset gloriæ cupidus, & laudis auidus mortuum suspicaretur. *An uero satis caussæ est, ut aliquis aliquem mortuum suspicetur, quòd ille sit gloriæ cupidus? An uero Plutarchus ita loquitur, unde hæc sumpsisti ad uerbum.* θυμοειδῆ δὲ, καὶ φιλότιμον ὄντα τὴν ψυχὴν, ἔτι ἀντίπαιδα τὴν ἡλικίαν παντάπασιν ἀπολωλέναι κατεδόξασεν ὑπ' ἀπειρίας ἀναμιχθέντα τοῖς πολεμίοις μαχομένοις. *idest animosus autem, & honoris auidus, præterea ætate puer cum esset, omnino perijsse putauit, propter imperitiam cum hostibus pugnantibus congreßum.* θυμοειδῆ *malè uertisti gloriæ cupidum, & ætatem, atque imperitiam Scipionis omisisti, quæ suspicionem patri iustam attulerunt, ne in prælio cecidisset.*

pag. 11. uer. 29.

Vnde factum est, ut consul unus in maximo luctu, lamentisque uersabatur. *Falsum est, atque indecorum, Paullum ob suspicionem filij mortui tenuem luxisse, atque lamentatum esse. Non ita Liuius.* Consulem, ne syncero gaudio frueretur, cura de minore filio stimulabat. *neque Plutarchus:* Imperatorem magnus dolor habebat. *Dolorem autem uocat* πένθος. *Tu uero lugentem, ac lamentantem more feminæ consulem fecisti, atque nostro illi, quòd idem nō fecerit, crimini obiecisti. quàm prudenter, ipse uideris.*

pag. 12. uer. 2.

Partim in prætorium ad ipsum ducem consolandum. *Plutarchus* σκηνὴν *uocat, non* στρατήγιον, *idest tabernaculum, non prætorium. Non est autem idem prætorium ducis, ac tabernaculum. quia tabernaculum est in prætorio. Liuius de eadem re loquens.* Consul Lictores misit, qui summouendo, iter ad prætorium facerent, & regem introductum in tabernaculum considere iussit

pag.

Pag. 20. uer. 3.

Sed cum neminem aduersus se perduci uideret. *Appianus in Iberico, unde sumpsisti hæc, scribit*, οὐδενὸς δὲ ὑπακούοντος, *idest* nemine autem morem gerente. *idest*, nemine prodeunte ad pugnam. *Tu uero*, cum neminẽ aduersus se perduci uideret. *quasi qui ultro ad pugnam prodiret, perduceretur a commilitonibus.*

Pag; 20. uer. 5.

Etiam ab risu linguam exerens. *Appianus* ἐπιτωθάσας, *idest* subsannãs. *cum autem multis modis subsannare potuerit, tu speciem pro genere attulisti, & quia Gallum olim apud Liuium linguam exertasse inuenisti, idem etiam fecisse Hispanum post multa sæcula existimasti; atque hanc uertendi fidem esse duxistis*

Pag. 20. uer. 6.

Mouit tandem ferocem Scipionis animum seu tacita ira, seu detrectandi certaminis pudor. *Appianus contentus fuit una uoce* ὑπερήλγησεν, *tu oratorie multas attulisti, scilicet, quia in simili re bonos scriptores ita locutos esse animaduertisti.*

Pag. 20. uer. 10.

Armis habilibus magis, quàm decoris, media militaris statura. *Nihil horum de Scipione Appianus, immo Appianus Scipionem paruum appellat. militaris autem statura non est parua. Hæc quia de Torquato dixit Liuius, ad Scipionem inconsulto transtulisti. quasi nihil interesset ad rei ueritatem. non enim historiæ fidem, sed historiæ centonem tibi proposuisti.*

Pag. 20. uer. 35.

Sæpe enim dicere consueuit, se quidem in uariis præliis uersatum esse, sed nunquam maiorem percepisse uoluptatem, quâm cum decem supra centum millia hominum prælio decertantium ipse omni periculo, curaque uacuus spectauit. *Hic tu sententiam Appiani neq; intellexisti, neque expressisti. sic ille* ἔλεγέ τε πολλάκις ὕστερον ἀγῶσι συνενεχθεὶς ποικίλοις, οὔποτε ὧδε ἡσθῆναι idest, Dixitque sæpe postea, cum uariis ludis interesset, se nunquam æque delectatum esse. *Est autem sententia. Scipio uoluptatem magnam cæpit ex conflictu Asdrubalis, & Masinissæ. nam sæpe postea dixit, cum pugnis ludorum uariis uoluptatis caussa interesset, se nunquam maiorem uoluptatem ex pugnis cæpisse, quàm cum Asdrubalis, & Masinissæ exercitus inter se congressos spectauit ab omni periculo tutus.* Ἀγῶνες ποικίλοι *non sunt bellica prælia, & pugnæ; sed ludi omnium generum, qui edebantur a Romanis, idest pugnæ equestres, pedestres, athletæ, pugiles, gladiatores, & alia eiusmodi. Sic locutus est*

idem

idem Appianus in fine eiusdem libri. ubi propter uictoriam scribit factos esse ἀγῶνας, κὶ θεὰς ποικίλας, idest ludos & spectacula omnium generum edita. en qui cæteros Græcarum litterarum imperitos uocare audet.

Pag. 21. uer. 6.

Victori Masinissæ gratulabundus occurrit. Appianus. καὶ αὐτῷ ὑποστρέφοντι ἀπὸ τοῦ ἔργου ὁ σκιπίων ὤφθη. idest. Et ipsi à pugna redeunti Scipio occurrit. Tu gratulabundũ attulisti de tuo, quasi uero gratulatione remota non idẽquoque facturus sit.

Pag. 21. uer. 10.

Carthaginenses cognito Scipionis aduentu ad eum oratum miserunt, ut pacem inter se, & Masinissam conciliaret, resque com poneret. Qui libenter suscepto negotio, ut in unum locum con uenirent, ibique congrederentur, studiose curauit. Hæc tu multis uerbis, at Appianus paucis, hoc modo. Quod ubi cognouerunt Carthaginenses, rogarunt Scipionem, ut Masinissam sibi conciliaret, ille uero eos in unum coegit. Qua de re nihil dicerem, nisi te profiteri religiosam Appiani conuersionẽ uiderem.

Pag. 21. uer. 20.

Scipio acceptis à Masinissa elephantis, et nonnullis cohortibus ad Lucullum rediit. Valerius l. 5. c. 2. à quo sumpsisti, non inquit nonnullas cohortes, sed bonam magnamq; partem exercitus.

Pag. 23. uer. 23.

Byrsa tumulus erat satis editus. Ἀκρόπολιν, idest arcem uertisti tumulum, cum tumulus sit λόφος

Pag. 23. uer. 25.

Byrsa triplici muro et ipsa circummuniebatur triginta cubitos al to præter propugnacula, et turres, quæ interuallo quingentorũ pedum inter se distabant, quęq; tabulatorum quatuor nixę fundamentis triginta pedum. Nibil horum intellexisti, sic Appianus. Ἔνθα καὶ ἡ βύρσα ἦν ἐπὶ τοῦ αὐχένος τριπλῷ τείχει τούτων δὲ ἕκαστον ἦν ὕψος πηχῶν τριάκοντα χωρὶς ἐπάλξεών τε, καὶ πύργων, οἳ ἐκ διπλέθρου διαστήματος αὐτοῖς τετρόροφοι περιέκειντο. βάθος δὲ ποδῶν τριάκοντα, idest. Vbi etiam erat Byrsa in iugo tribus muris munita. quorum singuli erant altitudine cubitorum triginta, prę ter pinnas, & turres, quę duorum plethrorum interuallo, quaternis tabulatis prædictæ crassitudine pedum triginta in illis circundispositæ erant. Primum non significas unumquemque trium murorum altum fuisse triginta pedes, deinde turres fuisse circum singu-

los muros dispositas. nam quod ille inquit αὐτοῖς περιέκειντο *tu uertisti dista-bat inter se. quod* Βάθος *ait, idest crassitudine, uertisti fundamentis. en cory-phæus* Græce *scientium.*

Pag. 23. uer. 29.

Altitudo uero cuiusque muri primum æquabat tabulatum. *Ro-go te, expone quæso quid sit hoc, non enim credo quenquam esse, qui intelligat* Byrsa erat triplici muro munita triginta cubitos alto, præter turres, quæ tabulatorum quatuor nixę fundamentis triginta pe dum quingentorum pedum inter se interuallo distabant, alti-tudo vero cuiusque muri primum æquabat tabulatum. *Quid enim? tres erant muri triginta pedes alti, in singulis erant turres quatuor tabu latorum, altitudo uero cuiusque muri primum æquabat tabulatum. Quid est tā ineptum, quàm ut si turres sint in muris, altitudo murorum perueniat ad primū tabulatum turrium?* Non *intellexisti igitur locum, neque expressisti, qui* Græcè *sic habet.* διόροφον δὲ ἦν ἑκάστου τοῦ τείχους τοὔψος. *idest, ut sin-gulæ turres muris superpositæ erant quatuor tabulatorum, sic singulorum mu-rorum altitudo erat duorum tabulatorum, quorum in parte inferiore stabulabā-tur elephanti, in superiore equi. non intellexisti autem quid sit.* διόροφον. *ut au-tem dixit* πύργους τετρωρόφους. *sic* τεῖχος διόροφον *idest turres quaternorū, & murum binorum tabulatorum.*

Pag. 23. uer. 30.

Et in parte inferiore fornicata, atque firma trecenti stabulabantur elephāti. *Græcè sic* καὶ ἐν αὐτῷ κοίλῳ ὄντι, καὶ στεγάνῳ κάτω μὲν ἐσταθ-μευον ἐλέφαντες τριακόσιοι *idest* Et in ipsis muris, qui caui erāt, & operti infra stabulabantur elephanti trecenti. Infra *uero significat in inferiore tabulato.* Fornicatus *autem murus, & cauus non sunt idem. possunt enim esse fornicati, sed non caui. cum autem cauos ait, loca stabulorū significat.*

Pag. 23. uer. 34.

Cum suis pabuli, & hordei penuariis σίτου, καὶ κριθῆς *idest* tritici, & hordei.

pag. 24. uer. 12

Præfectus classis domicilium Græcè σκηνὴ *idest* tabernaculum

Pag. 24. uer. 15.

Insula erat vehementer elata, vt ab iis, qui naui accederent, etiam acriter intuentibus partes intimę portuum non conspicerētur. *Non inquit* portuum Appianus, *sed* τῶν ἔνδον *idest partium interiorum. Cum autem scripsisti* portuum, *significas te non intelligere descriptionem urbis, quam sine caussa inculcasti* Portus (*inquit*) *erant duo, quorum ex uno in alterum ibatur; in medio secundi erat insula elata, ut impediret prospectum in-teriorum,*

teriorum, ideſt rerum, quæ intra ſecundum portum agerentur. non enim proſpe ctũ impediebat primi portus, ſed ſecundi. Ergo portuum *non fuit ſcribendũ.*

Pag. 24. uer. 27.

Alii poſt hos lapidibus, & lignis muniti *Græcè, cum lapidibus, & lignis. Intereſt autem utro modo dicas. nam qui ſtat cum lignis, offendendi cauſſa ſtat; qui munitus eſt lignis, ne offendatur, cauet. illi uero etiam offendere uolebant.*

Pag; 25. uer. 12.

Tanta ui in hoſtes irrupit, ut omiſſo incępto intra mœnia ſe ſe fuga recipere cogerentur. *Appianus* περιδραμὼν τοὺς καρχηδονίους κατεφόβησεν. οἱ δὲ ἀνεχώρουν εἰς τὴν πόλιν *ideſt* circumuectus Carthaginenſes perterruit. illi uero receſſerunt in urbem. *Num tibi omnia expresſiſſe uideris, qui diligentiam non neceſſariam ab alijs exquiris?*

Pag. 25. uer. 14.

Iterum ſaluti ea nocte una omnium uoce ferebatur. *Appianus* καὶ δεύτερον ὁ σκιπίων ἐδόκει τῷ δὲ τῷ ἔργῳ περισῶσαι ῥωμαίους ἐν νυκτὶ θορυβουμένους *ideſt.* Iterũ Scipio exiſtimatus eſt hoc facinore ſeruaſſe Romanos per noctem tumultuantes. ἐδόκει *non eſt ferebatur, ſed exiſtimabatur. &* ἐν νυκτὶ *eſt per noctem, non ea nocte, & coniungitur cum uoce* θορυβουμένους, *quam omiſiſti, non cum uoce* περισῶσαι

Pag. 25. uer. 15.

Phamæas Himilconis filius. *Appianus inquit.* ἰμίλκωνος, ᾧ φαμαίας ἐπώνυμον ἦν *ideſt, Himilcone, cui cognomen erat Phamæas. tu* Phamæas Himilconis filius. *num ad fidem uertiſti?*

Pag. 26. uer. 1.

Vnde factum eſt, ut cum eo Phamęas congredi non auderet, quòd in primis metueret eum, & uereretur. *Appianus* ὅθεν ὁ φαμαίας οὐκ ἐπιχείρει μόνῳ. *ideſt,* Vnde Phamęas eũ ſolum non aggrediebatur. *num religiosè ſatis uertiſti? cum uocem* ſolum *omiſeris, & multas de tuis addideris?*

Pag. 26. uer. 11.

Deinde tamen in itinere ex inſidiis aggrediebatur. ἐπετίθετο ἀπιοῦσιν *ideſt abeuntes aggrediebatur. Tu de tuo addidiſti* ex inſidiis.

pag. 26. uer. 20.

Manilius, ut qui eius rei cauſſam ignoraret, copias nõ temere educendas ratus, intra uallum ſe ſe continebat. *Copias non temere educendas ratus: addidiſti de tuo, quod non eſt apud Appianum.*

Pag. 26. uer. 21.

At Scipio duas equitum turmas haud mediocri occupatas metu cum facibus incensis educit. *Græcè sic.* ὁ δὲ σκιπίων ἱππέων ἴλας δίους λαβὼν ἐπῆγε. *Interpres uocē* δίας *mendosā esse uidēs* δύο *correxit & ita uertit: Assumptis duabus alis equitum excurrit cum accensis facibus. Tu uocem* δύο *& uocem* δίους *retinuisti, & duas equitum turmas haud mediocri occupatas metu scripsisti. neq; uitium in quo esset, sensisti. Quid enim ibi* δίους *significat? & fœdam sententiam intulisti, ut scripseris, Romanorum equitum turmas ingenti occupatas metu. cur autem illæ timuerint, non apparet.*

Pag. 26. uer. 25.

Hostibusque irruentibus terrorem sine intermissione incutiant. καὶ φόβον ἐμπεσομένων παρέχειν ἐκέ. *An tibi uidetur.* ἐμπεσομένων *esse irruentibus, an irruturorum? & pertinere ad hostes, an ad Romanos? præcipit enim Scipio suis, ut cum facibus concursent, & terrorem iniciant, quasi iam iam inuasuri. non autem terrorem incutiant inuadentibus. Ecce qui linguā Græcam docet, qui Futurum pro Præsenti sumit.*

pag. 27. uer. 2.

Per rupes, conualles, & pleraque edita, & prærupta loca. *Græcé* ἀποκρημνα, φάραγγας, καὶ τὰ ὑψηλὰ *idest prærupta, ualles, & edita loca. tu* rupes, & prærupta loca, *quæ sunt idem, pro diuersis posuisti; & alterum de tuo addidisti.*

pag. 27. uer. 4.

Et iam ab Asdrubale trecentos septuagintaquinque passus aberāt, & flumen quoddam erat transeundum, & inde ascensu difficili ad hostes ueniendum, cum de reditu agere, & consuli suadere cępit, vt ab eiusmodi desisteret incœpto, quasi opportuniore tempore, aliaque ratione, & apparatu id esset agendum. *Peruertisti hæc omnia, non conuertisti, aut deteriora addendo, ac mutando fecisti. sic enim Græcè ad uerbum.* Vt autem stadiis tribus absfuerunt ab Asdrubale, & ad flumen quoddam digressos oportebat subire aduersus Asdrubalem, tum demum institit, & consuluit, vt rediretur, quasi alio tempore, & alia ratione in Asdrubalem opus esset.

pag. 27. uer. 15.

Vt saltem exercitus ad ripam fluminis sisteretur, vallumque excitaretur, ut si forte premerentur, & hostium vim ferre nequirēt, aliquem tutum haberent receptum, cum fugæ alius nullus sibi relinqueretur locus. *Græcè sic* iussit castra ante flumen excitare, vt si premerentur, haberent receptum, cum tum nihil esset, quò confugerent.

Pag. 27. uer. 24.

His obuius fit Asdrubal, inita extemplo pugna, magnaque cędes vtrinque facta. *Græcè ita* Ipsi träsgresso occurrit Asdrubal, cædes magna vtrinque facta *prætermisisti* transgresso, *addidisti* inita extemplo pugna.

Pag. 27. uer. 34.

Qui in fuga potius, quam in uirtute spem salutis collocauerant. οὐ δ' ἀμυνομένων, ἀλλὰ φευγόντων. *idest* non tuentibus se, sed fugiētibus.

Pag. 28. uer. 25.

Mortem æquo animo oppeiturū. χαίρων αὐτοῖς συναπολεῖσθαι *idest* cum eis ęquo animo moriturum. *Quod est significantius, aut, gaudens cum eis mori.*

Pag. 28. uer. 28.

Collem quendam contra eum tumulū occupauit. Qua re cognita Libyci acrius obsessos premere. *Hic omissum, quod ad rem pertinet.* καὶ μία τοὺς δύο χαράδρας διείργειν. *idest* & una ambos uallis dirimebat.

Pag. 28. uer. 30.

Qua re cognita Libyci acrius obsessos premere, & uehementius oppugnare, simulque iis significare, Scipionem de uia continenti fessum auxilio uenire non posse οἱ δὲ λίβυες τότε μάλιστα ἐπέκειντο τοῖς πολιορκουμένοις, καὶ πρὸς αὐτοὺς ἐνενόησαν, ὡς οὐ δυνάμενος τοῦ σκιπίωνος ἐπικουρεῖν ἐξ ὁδοιπορίας συντόνου *idest* Libyes autem tum maxime institerunt obsessis, & inter se significarunt, quasi ne tum quidem ex assiduo labore Scipio opem ferre posset. *Ridicule illud, quòd ais, significasse obsessis, cum inter se id significarint.*

Pag. 28. uer. 34.

Nulla interposita mora. τὸν καιρὸν οὐ μεθῆκεν *idest* occasionem non pręterrmisit *quod longe diuersum est a tuo.*

Pag. 28. uer. 35.

Scipio postquam radices utriusque tumuli, uallemque interiacentem satis contemplatus est, nulla interposita mora per eam fertur supra hostes. ὁ δὲ σκιπίων ὡς εἶδε τὰς πείρας τῶν δύο λόφων τὴν χαράδραν περιιοῦσας, τὸν καιρὸν οὐ μεθῆκεν, ἀλλὰ περιέδραμε δι' αὐτῶν ὑπὲρ τοὺς πολεμίους. *idest.* Scipio ubi uidit radices duorum collium uallem cingentes, occasionem non dimisit, sed per eos circumuectus est supra hostes. *Non uidisti Scipionem non per uallem, sed per tumulos subiisse ad hostes, & δι' αὐτῶν ad λόφους pertinere, non ad χαράδραν.*

pag. 29. uer. 3.

Reuersus in castra ingenti plausu, ac lætitia exceptus fuit. καὶ αὐτὸν οἱ στρατιῶται μακρόθεν ἰδοῦσαι ἐξ ἀέλπτως περισεσωσμένον μεγάλη ἀλλαλαξαν ἐδεξάμενοι *idest* Et ipsum longe conspectum milites ex insperato seruatum magnis clamoribus exceperunt, *multa reliquisti ad fidem interpretis pertinentia.*

pag. 30. uer. 7.

Manilium ipsum, prætorium, reliquos tribunos. τὸ συνέδριον *uertisti* prætorium, *ignorans prætorium, locum esse prætoris in castris & στρατήγιον dici. συνέδριον autem uocari consilium imperatoris, idest qui ei adsunt in cosilio. de quibus erudite Sigonius in libris de prouincijs.*

pag. 31. uer. 26.

Et egregia eius opera in primis usus est ad repellendas insidias Phameæ ὁ δὲ τὰς Φαμαίου μάλιστα ἐνέδρας ἐρευνώμενος *idest* ille uero Phameæ insidias in primis perscrutans. *Tu* ἐρευνᾶσθαι *quod est scrutari, uertisti* comprimere *& sensum peruertisti.*

pag. 31. uer. 36.

Ratus illum loqui uelle ἐλπίσας αὐτὸν εἰπεῖν τι θέλειν *idest* sperans ipsum dicturum aliquid.

pag. 32. uer. 10.

Dignissimus omnium tu quidem es, cui omnium consensu fides adhibeatur. ἐπῄνεσαι μὲν ὡς ἀξιοπιστότατος ἐκ πάντων *idest* tu qui dē laudem fers maximæ inter omnes fidei *Num tibi uidetur omnino idem?*

Pag. 32. uer. 13.

Reuerso iterum Manilio ad Nepherim. αὖθις εἰς Νέφεριν ἐστράτευε *idest* rursus ad Nepherim duxit exercitum *quid est autem* Reuerso iterum? *non ne satis* Reuerso?

pag. 32. uer. 25.

Manilius cum Scipionem bene sperare uideret, eò inclinauit ipsius sententia, ut iret ad eum locum, & de salute Phamæam bono esse animo, atque confidere suo nomine iuberet. *Græcè sic.* Manilius cum Scipionem bene sperare videret, misit, promittens, ut de salute certam fidem Phamæ daret *tibi ne uideris nihil adludiße de tuo?*

Pag. 32. uer. 35.

Postera die habita concione ad suos, qua eos ad defectionem ad Romanos hortatus est, cum duobus millibus, ac ducentis equitibus ad Scipionem transiit. *Cur non omnia reddidisti, quæ sunt apud Appianum?*

pianũ? hoc modo. Poſtera die exercitũ ad prælium inſtruxit,& cũ alarum præfectis progreſſus in medium, quaſi ad rem aliam conſultandam, dixit. ſi licet patriæ opem ferre, uobiſcum paratus ſum, ſi verò res eius eum ſtatum tenet, quem tenet, mihi propriæ ſaluti conſulendum uidetur. Et fidem accepi pro me, & pro omnibus, quos in meam ſententiam traxero. tempus autem eſt, & uos, quæ utilia futura ſunt, deligere. Hæc dixit, præfecti autem duo cum ſuis equitibus transfugerunt, & fuerunt omnes ad ducentos & duo millia equitum. *ſcilicet hæc eſt fides boni interpretis, bonique hiſtorici, quam tu ab aliis requiris?*

pag. 33. uer. 2.

Exercitus obuiam profectus Scipionem cum Phamæa redeuntem bonis ominibus, lætisque clamoribus proſecutus eſt. ἐπανιόντι δὲ τῷ σκιπίωνι μετὰ τοῦ φαμαίου ὁ στρατὸς ἀπήντα. καὶ τὸν σκιπίωνα εὐφήμουν, ὡς ἐπιθριάμβῳ. *ideſt* redeũti uero Scipioni cum Phamæa exercitus obuiam prodiit, & ſcipionem celebrarunt, ut in triumpho.

pag. 33. uer. 9.

Magnam frumenti ui min caſtra ſub noctẽ attulit *Græcè* καὶ πολλὴν ἐξ αὐτοῦ λείαν τε, καὶ ἀγορὰν ἧκε φέρων τῷ στρατῷ νυκτί. *ideſt* & multam inde prædam, & commeatum ad exercitum afferens uenit *tu ſatis habuiſti dicere* frumentum *quaſi præda nihil aliud ſit, quàm frumentum.*

pag. 33. uer. 18.

Id quod Romam ad ſuos ſcripſere. *Dimiſiſti uocem* plerique *Græcè* οἱ πολλοί.

pag. 34. uer. 6.

Nullum finem expectabant futurum, ſed etiam, quod quotidie referebantur maiores Carthaginenſium apparatus, & per eoſdem multos ex finitimis populis mercede, & pollicitationibus ſollicitari, non pecuniã, non arma iis de eſſe. *Hoc neque rectè uertiſti, neque intellixiſti, & multis additis obſcuraſti. Græcè* οὐ γὰρ τινὰ διάλυσιν προσεδόκων ἄπιστα πρότεροι κελεύσαντες *ideſt* Neq; enim Romani ſperabant pacem, cum priores incredibilia imperaſſent Carthaginenſibus *Intelligit autem, cum Manilus, & Cenſorinus urbe eos excedere iuſſerant: qua re exacerbatos ad pacis conditiones uenturos ſperare* Romani non *poterant. Num hanc ſententiam tua illa paraphraſi expreſsiſti, in qua de apparatu nouo Carthaginenſium ſcripſiſti?*

pag. 34. uer. 22.

At ciues rogare. *Non quicunque ciues rogabant, ſed populus, qui cum Conſuli-*

bus ac patribus contendebat. Græcè ὁ δῆμος.

Pag. 34. uer. 24.

Populum comitiorum esse principem, & legum, quę in iis ferrentur, vt & eas confirmare, & abrogare ad arbitrium suum posſit. τὸν μὲν δῆμον εἶναι κύριον τῶν ἀρχαιρεσιῶν, καὶ τὸν περὶ αὐτῶν νόμον ἀκυροῦν, ἢ κυροῦν, ὃν θέλοιεν. *ideſt* populũ i poteſtate habere comitia, et legem de comitiis habendis infirmare, aut confirmare poſſe, quam uellet. *Significat autem legem de comitiis magiſtratuum creandorum cauſſa latam: non autem quaſcunque leges, quæ ferrentur in comitiis.*

pag. 34. uer. 27.

Comitiorum, atque creandorum magiſtratuum facultatem patribus auferendã τοὺς ὑπάτους ἀφαιρεῖσθαι τὴν χειροτονίαν *ideſt* ſe erupturum conſulibus electionem magiſtratuum, ſiue poteſtatem comitiorum, niſi cum populo conſentirent. *Minatur ergo Tribunus plebis ille, ſe legem promulgaturum de eripiendo iure comitiorum conſulibus, non autem cenſet auferendam eſſe.*

pag. 34. uer. 34.

Africam iubente collega ut inter ſe ſortirentur, unus e Tribunis eum docuit, pręficiendi quoque prouincię, populi iudicium eſſe, populum Scipionem delegiſſe. *Non potuiſti longius ab ipſa ſententia ſcriptoris recedere. Sic ille* καὶ αὐτὸν ὁ σύναρχος Δροῦσος περὶ λιβύης πρὸς αὐτὸν ἐκέλευε διακληροῦσθαι μέχρι τις τῶν δημάρχων εἰσηγήσατο τῆς τε στρατηγίας τὴν κρίσιν τοῦ δήμου γίγνεσθαι, καὶ ὁ δῆμος εἵλετο σκιπίωνα. *ideſt* Et collega eius Druſus Africam ſecum ſortiri iuſſit, donec quidam Tribunus plebis legem tulit, ut et huius imperii iudicium populi eſſet. Et populus delegit Scipionem, *Sententia eſt. Cum Druſus uellet Scipionem ſecum ſortiri, lex a Tribuno lata eſt, ut Africa prouincia nominatim a populo mandaretur, & comitiis habitis Scipioni mandata eſt. Tu uero uertis* εἰσηγήσατο docuit, *quod eſt, legem tulit. & Tribunum plebis dixiſſe Scipionem a populo electum, quod non dixit, quia fuerat lectus conſul, non autem in Africam imperator. Sunt autem illa uerba Hiſtorici, non Tribuni plebis.*

pag. 34. uer. 35.

Supplementum exercitus Scipioni ex delectu conceſſum eſt. *Sic Appianus Græcè.* Datus eſt autem exercitus ex delectu, quãtus erat, loco mortuorum. *Omiſiſti tu* Quantus erat loco mortuorum. *Atque hæc quidem uſque ad conſulatum, & imperium Scipionis, ex plurimis pauca notaſſe libuit, in quibus tu aut Græca non intellexiſti, aut ad fidem non*

uerti-

uertisti. Ex quibus conijcere potes, quàm multa in reliquo corpore commiseris, & quàm foeda, quæ si lacessiueris, suo quidque tempore indicabuntur.

IMPROPRIE, INCVLTE, ET INEMENdate dicta.

QVartum uitium ad ea pertinet, quæ à te improprie, inculte, & inemendate dicta sunt, quorum ex plurimis hæc pauca in tredecim pagellis ego selegi. Pag. 10. uer. 3.

Duos habuit filios, Aemyliam, quam, &c. *Nouo exẽplo dictus est filius de femina. Tutius erat dicere liberos, ut mares, ac feminas complecteretur.*

Pag. 10. uer. 8.

Triumphauit ex Macedonia, & rege Perseo. *Triumphauit ex Macedonia recte, ex rege Perseo non recte, sed de rege fuit dicendum.*

pag. 10. uer. 27.

Postquam ea, quæ illi tradere ipse potuit, à se arripuisse cognouit *Arripere litteras recte dicitur, ab aliquo arripere, non ita.*

Pag. 10 uer. 31.

Ex longinquis regionibus accersendos curauit. *Accersendos curauit, pro accersiuit, temere; nam si curauit accersendos, a quo? ab alio? absurdum; nam Plutarchus inquit ipsum accersiuisse; a se? quid ineptius erit, quàm si dicas, Paullus curauit accersendos a se magistros?*

ibidem.

Studiose curauit, accersendos curauit. *Duæ continẽtes periodi eodem uerbo finientes ostendunt paupertatem orationis.*

pag. 11. uer. 8.

Sub ductu, auspicioque patris prima stipendia meruit *Merere stipẽdia sub aliquo, Latine dicitur: sub ductu, & sub auspicio alicuius, num ita? Adde, quod dicitur. Ductu & auspicio alicuius rem geri, non sub ductu & sub auspicio.* pag. 11. uer. 29.

Vnde factum est, vt consul unus in maximo luctu, lamentisq; uersabatur. *Hoc genus scribendi sæpe in hoc scripto usurpasti, scilicet, Vt, cum indicatiuo. Factum est, ut uersabatur, pro, uersaretur, contra regulas Grammaticorum.* pag. 12. uer. 10.

Qui tum demum tantæ victoriæ gaudio sentire cœpit. *Gaudium, non gaudio est scribendum.*

pag. 12. uer. 32.

Itaque quanquam litteræ preces Rege indignę continebant. *Indignas cur non scripsisti?*

pag. 16. uer. 14.

Vt optimam, ac beatissimam funeris pompam preteream. *Quid sit optima, ac beatissima pompa funeris, tu postea uideris.*

pag. 16. uer. 5.

Xenophontis libros illos quidem. *Latini utuntur, ille quidem, ita, ut ei subiungant.* Verum, Tamen, Sed: *quod apud te desideratur, ut* Cic. *Philosophi minime mali illi quidem, sed non satis acuti. item: Rumores satis illos quidem cō= stantes, sed adhuc sine auctore.*

pag. 16. uer. 6.

Prudenter de manibus deponere non solebat. *cur non ponis in tuo centone uerba Ciceronis, quæ sumpsisti ex ep. prima ad Q: fratrem, ut se habēt? sic, Quos quidem libros noster ille Africanus de manibus ponere non solebat.*

pag. 16. uer. 17.

Vxori Papiria, quam non multo post repudiauerat. *Repudium est sponsæ, diuortium cum uxore. cum autem Papiria uxor fuerit, & ex ea liberos susceperit, propterea repudiari non poterat, sed diuortium cum ea fieri poterat. Hoc te docebit Sigonius in primo de iure ciuium Romanorum. et posthac tu hūc ex æquasse confirmare audebis?*

pag. 17. uer. 2.

Quo cum beneuolentiæ charitate coniunctus erat. *Coniunctus cha= ritate, nouum.*

Pag. 17. uer. 3.

Tam amantissime cum eo uiuebat, ut eadem essent studia, & pere= grinationes communes fuerint *Tam amanter fuit scribendum, & in se cundo membro pro* fuerint, *essent, reponendum.*

pag. 17. uer. ij.

Adeo incredibiliter repuerascere solebant, ut conchas legere con= sueuerint, *solebant ita, ut consueuerint, Grammaticum olet potius, quàm Historicum.*

ibidem.

Ad Gajetam. *Caietam scribendum, Gaietam pronunciandum. ut Cneus, Ca= ius, Cnossus, Procne. quæ C. littera scribuntur, G. pronunciantur.*

pag. 17. uer. 19.

Quod factitasse Scipio ferebatur, ut iis respirandi locus daretur, qui splendore uirtutum illius opprimi uidebantur. *opprimi, & splendore, parum inter se respondent.*

pag. 18. uer. 3.

Quod quidem maxime caussa fuit, ut in eo doctissimo de amici= tia libro Lælium de amicitia disputantem induxerit. *Concedo. Li=*

brarij

Falsum Sueto: ... ... c. 35.

brarij culpa deesse uocem, Cicero, illud uero, in eo doctissimo libro, tuum est certe. cur enim addis, Eo? quis sic loquitur?

pag. 19. uer. 6.

Quamuis eos præstantia virtutis longè superaret. Superare uirtute, rectè: præstantia uirtutis, num ita?

pag. 19. uer. 9.

Ita se summittebat, ut nunquam inferioris ordinis amicis se se anteposuit. Anteposuerit, erat dicendum, ut supra, Versaretur. Hoc iam non uidetur ferendum, tam bonum Grammaticum nescire Grammaticam. Sed quia legisti apud Ciceronem de amicitia nunquam se ille Philo, nunquam Mummio anteposuit. Verba non mutasti. O' acre iudicium.

pag. 19. uer. 10.

Virum omnino illi nequaquam parem. Cur non scribis ut Cicero? Sibi nequaquam parem. pag. 19. uer. 33.

Scipio l gatus in Hispaniam profectus præter alia facinora, quę in eo bello præclara edidit, illud ad Intercatiam maxime memorabile fuit. Non ne sentis turpe anacoluthon? neque enim extat, quid Scipio egerit: & hoc etiam (credo) in tuis regulis habes.

pag. 19. uer. 20.

Ostendendi ingenii. Gellius hac de re scribens inquit, ostentandi, quod est in hac re proprium. quod tu temere mutasti in ostendendi.

pag. 20. uer. 6.

Ab risu linguam exerēs. Ab irrisu inquit Liuius, de Torquato loquens.

pag. 20. uer. 26.

Masinissa bellum gerebat cum Carthaginensibus Asdrubale duce. Vt si quis dicat, Romani bellum gesserunt cum Pœnis Scipione duce, intelligas Scipionem fuisse Romanorum ducem; sic cum dicas, Masinissa bellum gesit cū Pœnis Asdrubale duce, intelliges Asdrubalem fuisse Masinissæ ducem. at is tamen non Masinissæ fuit, sed Pœnorum. id uitii parit locutionis improprietas.

pag. 20. uer. 24.

Erat Masinissa Corneliæ gentis iustis de caussis amicissimus. Non erat amicus Corneliæ gentis, sed præcipuè Scipionum familiæ, atque ita Cicero scripsit, & tu scribere debuisti. pag. 21. uer. 29.

Scipio vbi in Africam applicuit, nihil ei potius fuit, quàm ut Masinissam conueniret. Sic Cicero, unde sumpsisti Cū in Africam uenissē, nihil mihi potius fuit quod tu dum mutare uoluisti, soloecismum commisisti. Scipio cū in Africā venit, nihil ei potius fuit, cū dicere deberes. Nihil potius habuit. aut, Scipioni, cū in Africā uenit, nihil potius fuit. atq; his

dicendi generibus tota hæc uita referta est. ne librarii uitio hoc factum contendas in eo libro, quem tu iam ter edidisti eodem modo.

pag. 22. uer. 2.

Postquam autem apparatu regio accepti nullis in aliis, nisi de Africano sermonibus ad multam noctem uersati sunt. *Verba sunt Scipionis apud Ciceronem sic loquentis.* post autem regio apparatu acceptus sermonem in multam noctem produximus, cum senex nihil nisi de Africano loqueretur. *Tu uocem accepti, quæ ad unum Scipionē refertur de se loquentem, & se regio apparatu a Masinissa acceptum dicētem, temere contulisti ad Scipionem, & Masinissam. quasi uero Masinissa, & Scipio sint accepti regio apparatu, non unus Scipio a Masinissa. Vide ut ne integra quidē uerba transferre, & centonem tuum consuere sine uitio maximo potueris.*

pag. 22. uer. 34.

Singulis diebus centum, & quadraginta clypei confecti. *Centeni, & quadrageni fuit scribendum, quia præcessit* singulis.

pag. 24. uer. 12.

Præfectus classis domicilium. *Præfecti.*

pag. 24. uer. 14

Præco edicere. *Magistratus est edicere, præconis pronuntiare. & sic fuit scribēdum.*

pag. 24. uer. 30.

Tribuni. *Semper uteris uoce* Tribuni pro *Tribuno militum. cum latine nemo ita fecerit. Itaq; Tribunum militum semper posthac scribes.*

pag 25 uer. 12.

Præfectus equitum Libycorum. *Λιβυκὰς semper fere Libycos uertis, quod nunquam Liuius, qui semper Afros dixit.*

pag 30. uer. 36

Qui tamen supremam iam adesse horam cū sentiret, hæc uxori, filiisque mandasse memoriæ proditum est. *Ecce aliud anacoluthon.* Scipio cum sentiret proditum est mandasse. *En qui Grammaticum se profitetur.*

pag 31. uer. 28.

Ad comprimendas insidias. *comprimere insidias, nescio, an Latinum*

pag. 32. uer. 26.

Manilius cum Scipionē bene sperare uideret, eo inclinauit ipsius sententia. *Quis te hæc docuit? aut quis a te hæc discere uelit?*

pag. 34.

Tribunus. *Tribunus, pro Tribuno plebis nunquam dixere Latini, ut tu, qui fere non aliter.*

Quinta tua, eaque omnium fœdissima culpa est, quòd cum tu neque scribendæ historiæ

storiæ rationem teneas, neque Græcè, aut Latinè intelligas, aut scribas, tamen usque adeo tibi places, atque tanta propterea arrogantia inflatus incedis, ut au cupandæ docti hominis famæ caussa doctos homines inuadere, & ad pugnam prouocare non dubites, & modestiam eorum atque silentium pro uictoria referas. Itaque quia eadem flagitia commisiße te uideo in alienis scriptis reprehendendis, atq; in tuis centonibus assuendis, dabo operam absoluendi operis caussa, ut ea etiam patefaciam. Quamobrem quæ tu in historia Scipionis ab eo scripta, quem tu in ordinem cogis, usque ad priorem consulatum culpasti, ego hoc modo reprehendo. Primum illud est à te intelligendum, quod prorsus ignorare uideris, aliud eße historiam uertere, aliud eandem ab alijs scriptam deintegro scribere. Qui uertit, & rebus & uerbis ijsdem se obstringit. qui scribit, maius & rerum, & uerborum sibi reseruat arbitrium. Quod ni ita esset, sequeretur, ut nemo discedere posset ab eo, qui primum scribendi occupasset locum, sed easdem omnino repetere & res, & uerba deberet. Quod cum ratio ipsa refellit, tum exemplis etiam ueterum fieri non oportere, conuincitur, Liuij, Plutarchi, Dionis, & Appiani. Neq; enim Liuius cum historiam suam ab antiquis acceperit, eos ita est secutus, ut sui sit aliquãdo dissimilis factus. Age enim, libro septimo cum Torquati pugnam cum Gallo narrauit, num à Quadrigario, nisi quæ uoluit, sũpsit? & libro nono cum de Cn. Flauio ædili curuli facto locutus est, num uerba, quibus Piso eam rem complexus fuerat, prorsus eadem attulit, quanquam utrunque aperte sequutus? minime omnium. Sed libertatem ita suam retinuit, ut solum quæ uisa sint, arripuerit. Quod intelliges, si Liuij uerba cum Quadrigarij & Pisonis uerbis, quæ sunt à Gellio libro VI. & IX. recitata, cõtuleris. Neq; uero idẽ cum multa, atque adeo plurima à Polybio sumpserit, sua se libertate in eo spoliauit, sed suo arbitrio & res, & uerba reseruauit, ut aliquando cum eo contendere uerborum numero uelle uideatur, aliquando ne legisse quidem eum, cum tamen sequatur, uelit uideri. Atque hoc idem etiam fecit Plutarchus, cum aliquid à Liuio est mutuatus, et Dio, Appianus, et Plutarchus, cum res gestas Cæsaris prodiderunt. Quanquam enim aut copiosius narrari, aut certius, ornatiusq; explicari eas non potuisse, quàm a Cæsare, & ab Hirtio expositæ fuißent, non putarunt; non tamen aut Cæsaris, aut Hirtij commentarios in suas historias transtulerunt, quod te, ut uideo, auctore, facere debuissent; sed & actiones, & sententias, & uerba, quæ placuit, selegerunt, & pro arbitrio usurparunt. Quid? Sallustius non ne coniurationem Catilinæ omnium diligentissime scripsit? certe; num uero Appianus, aut Dio, eam sibi describendam existimarũt? nequaquã. Atqui multo magis ipsi Sallustiũ uertere debuerũt, quã tu Appianum. Sallustius enim coniurationi interfuit, et scripsit ea, quæ uidit & uir summæ industriæ, atque prudẽtiæ fuit. Appianus, quæ narrauit, ab alijs ac-

cepit

cepit, & res uetustate propè obsoletas retulit, neque cum Sallustio ullo modo ingenij, atque iudicij laude cōparandus fuit. His ergo rationibus noster ille motus, neq; Appianū religiose conuertit, neq; sibi cōuertendū putauit. Quod te nō animaduertisse, equidem pro summo tuo crimine pono. Nā si semel, aut bis hāc ille sibi libertatem asciuisset, iure tu quasi ipsius ignarus consilij eum reprehendere potuisses, qui quod professus esset, cumulate nō expleuisset. uerū cū in tota historia perpetuo tenore hoc seruet, miror te non uidisse; aut si uidisti, illud in maledictis obiecisse, quod laudi fuit maximæ tribuendum. est enim imbecilli ingenij tanquam infantem aut nixu suo ingredi, aut nisi nutrice præeunte fari non posse. & cum hoc maxime miror, tum illud multo magis, te, qui dum alios reprehendis, tacite fidelem aliquam Appiani translationem polliceris, id ipsum non præstitisse, quod ab alijs requiris. Tu enim in hac historia scribēda hoc suscipis, ut si quid à Latinis sumas, eadem uerba, nedum eandem sententiam, in tuum scriptum traducas; si à Græcis, uerba ipsamet interpretis eius Scriptoris adhibeas, & non historicum, sed fidum historici interpretem agas; neque historiam scribas, sed centonem historiæ consuas: neque tamen semper id præstas. Ille autem quando id profitetur, ut quæ à Latinis sumat, Liuiano more aliis ea uerbis immutet; quæ à Græcis, ea suis ita ornet, ut non interpres historici, sed historicus; neq; alienæ fabulæ actor, sed ipse suæ auctor esse uideatur; ne rationē quidē tibi reddere suæ conuersionis tenetur. Quare quæcunque ab eo religiosè ex Appiano expressa non esse coarguis, hoc uno responso omnia infirmantur. at ne ipse quidem id suscepit, neque sibi suscipiendum putauit. Verum tamen singula loca consideremus.

Filios curauit instituendos. *Tu instituisse, non instituendos curasse, reponis. In quo quantopere fallaris, satis est supra patefacta Plutarchi sententia demonstratum.*

Partim in legitimis stipendiis conficiendis, quantum perspici potest coniectura, traduxit. *Reprehendis in historico coniecturam. supra uero & historicum coniecturas afferre debere, & te potissimum coniecturas sequutum ostendi.*

P. Terentio tantus cum Scipione & Lælio usus intercesit, ut multi propterea fabulas eius non a Terentio, sed aut a Lælio, aut a Scipione scriptas esse crediderint. *Non negas hoc esse uerum. nam Donatum hoc idem tradere affirmas. sed inquis Ciceronē aliam caussam afferre, scilicet elegantiam sermonis. neque uides reprehendendi cupiditate occæcatus quàm absurda loquaris, non enim eadem de re Cicero, & hic loquuntur. Cicero elegantiam Terentij confirmat ex eo, quòd fabulæ eius a Scipione, et Lælio scriptæ sint creditæ. Hic familiaritatem Terentij cum Scipione probat ex eo, quòd*

fabulas eius a Scipione scriptas fuisse homines arbitrati sint. quemadmodum ipsemet fatetur in Adelphis. Nam quod isti dicunt maleuoli homines nobiles eũ adiutare, assidue unà scribere. *Si ergo assiduè unà scribebãt, erãt ei familiares, ut rectè ille concepit, ineptè autẽ tu reprehendis.*

Quarum rerum si unum, atque alterum maxime ad commemorationem insigne attulero. *Non est inquis historici, unum, atque alterum insigne facinus exponere, sed omnia: atque hæc ratio loquendi est oratoria, non historica. Quid ais? in hoc quid est errati? rem enim reprehendere non potes, quia nihil omissum est; modum loquendi multo minus, quia uitam scribere, est quasi laudes eius, de quo scribis, oratorie persequi. quod te duo elegantes scriptores docebunt, qui his uitiis scatent, Cornelius Nepos, & Probus. Quid? non ne tu hoc idem genus loquendi usurpasti? Præter cætera, inquis, facinora, quæ in eo bello præclara edidit. quæ sunt ista? cur non exponis? cur oratorie loqueris, cum historicus sis? ò plumbeum pugionem.*

Quanta maxima uoce potuit prouocauit. *Maximam uocem reprehendis, ut de qua nihil Appianus, & quæ, ut ais, hyperbolica sit. ò erratum turpe. an uero si Barbarus ille ex medijs castris Romanis Romanum militem excire uolebat, non maxima uoce illi utẽdum erat? an si audacia prouocandi ferox erat, non etiam in uoce eandem ferociam prætulisse, est uerisimile? Addis.* Error non paruus in eo, quod putat, Barbarum illum semel tantum Romanos prouocasse, cum sæpe id fecerit. *Ridiculè. quomodo enim hoc putare ille potuit. cum ita scriptum reliquerit? Ad pugnam sæpius prouocauit. si sæpius, quomodo semel? Nihil est autem omissum rem pro arbitratu scribenti; aliquid fortasse Appianum religiose uertenti. a qua re ille abhorruit.*

Erat tum rex ille grauissimo Carthaginensium bello implicatus, iamque acies ex utraque parte ad prœliandum erant instructę, cũ Scipio ad eũ peruenit. *Obijcis Scipionem uenisse ad Masinißam pridie, quàm pugnatum est, non eodie quo pugnatum est. Ego uero dico, Scipionem aut priore die, dum se parabat ad prœliũ Masinissa in Numidiæ fines tantùm uenisse; aut sub noctem ad Masinissæ regiam accessisse quidem, sed cum uisere, nisi postero die, post prælium factum non potuisse, præsertim cum sub lucem (ut inquit Appianus) ille in aciem exercitum eduxerit: aut sequenti die accessisse, cũ acies iam inter se pugnaturæ erant. quare eam pugnam ex edito loco spectaße. ut ut sit, rem narranti, non Appianum ad uerbum uertenti, satis fuit dicere Scipionem accessisse, cum Masinissa & Asdrubal pugnaturi erant. nam si ante pugnæ apparatum uenisset profecto Masinissam, antequam in aciem descenderet, inuisisset, neque id officij post incertum prælij euentum distulisset. Quod addis, Appianum scribere filios aliquot à Masinissa obuiam Scipioni missos, hunc uero*

filium

filium scribere; eadem ratione defenditur. non enim hic de numero laborauit, dum honoris habiti genus non prætermiserit. & est uerisimile, cum multi mitterentur, unum quasi legationis principem natu maximum se gessisse. Quòd uero scribis hunc aliquid addere; attende iterum, ut uerum hoc sit, & uersionem eius cum tua compara. Vide autem ne tu aliquid addideris. sic enim ad uerbum Appianus Scipio spectauit pugnam ex alto loco tanquam ex theatro. *tu uero ita.* Qua re cognita Scipio in editiorem quendam ascendit locum, unde etiam pugnã, quæ ab aurora usque ad noctem perducta est, non sine magna uoluptate spectauit. *Num tibi uideris nihil ad Appiani sententiam adiecisse? Quòd uero ais, ipsum equites omisisse, qui cum filiis obuiam missi sunt: respondeo, cogitationi illud lectoris tacitæ reliquisse, ut intelligeret filium nõ sine comitatu obuiam prodiisse. Neque enim Liuius Polybij uerba omnia expressit libro XXVI. cum scripsit.* Asdrubal Gisgonis vsque ad oceanum, & Gades, Mago in Mediterranea maxime supra Castulonensem saltum, Asdrubal Amilcaris filius proximus Ibero circa Saguntum hibernauit. *Nam Polybius ita habet.* μάγωνα μὲν ἐπυνθάνετο διατρίβειν ἐντὸς ἡρακλείων στηλῶν ἐν τοῖς κονίοις προσαγορευομένοις, ἀσδρούβαν τὸν γέσκωνος περὶ τὸ τοῦ τάγου στόμα κατὰ τὴν λυσιτανήν τὸν δ᾽ ἕτερον ἀσδρούβαν πολιορκεῖν τινὰ πόλιν ἐν τοῖς καρπητανοῖς *Non dubito, si æquus iudex esse uolueris, quin Liuiũ item multis hoc loco nominibus arguas.*

Cum autem fama Scipionis aduentus totam esset iam ferme Africam peruagata. *Reprehendis, quòd nimis ornet Scipionem, cum dicat famã aduentus eius totam ferme esse Africam peruagatam, quod non est apud Appianum, qui inquit,* Vbi Carthaginenses cognouerunt. *Non intelligis autem hunc seruire laudi eius, de quo scribit: quod Appianus propositum non habuit, cum bellum Romanum, non uitam Scipionis scribendam susceperit. neque attendis Africam hic more Romano pro regione Carthaginensium accipi, non pro tertia terrarum parte. Neque uero Carthaginenses, nisi singularem iustitiæ eius habuissent opinionem, arbitrum pacis sumpsissent. neque enim in pace componenda fortitudo quæritur, sed æquitas. Et si Masinissa pacem nõ petijt, tamẽ cũ Scipionis arbitrio se permiserit, ipsum arbitrum cum Carthaginensibus asciuisse, negari non potest.*

Appianus tamen elephantis, quorum caussa venerat, a rege acceptis, scribit retro se ad Lucullum e uestigio contulisse. *Reprehendis, quod his uerbis indicat, Scipionem negotium componendæ pacis non suscepisse, & elephantos tantum a Masinissa accepisse, cum teste Valerio, etiam exercitum acceperit. Dico his uerbis significatum, Scipionem tempus in componen-*

de pace, quæ conuenire non potuit, non contriuisse. & ex Appiani sententia, elephantos tantum accepisse. Nam ut Valerius militum, sic Appianus elephantorum petitorum tantum est auctor.

Duobus post annis cum Man. Manilio consuli bellũ Carthaginensibus inferenti Tribunus militum obtigisset. *Hoc loco multa dicis sed aliud alio leuius. Primum inconstanter agit, inquis, qui in commentarijs Fastorum scribit, bellum Pœnis à Manilio, & Censorino consulibus illatum, in uita uero Scipionis à Manilio solo. Caussa hæc est, in Fastis bellum scribebat uniuersum, in uita partem eam tantũm belli, quæ suum attingit Scipionem Manilij, non Censorini Tribunum militum. Neque uero ita de Manilio locutus est, ut Censorinum excluserit. Addis, falsum eße, quod ille scribit, consules aggressos esse urbem, quod infirmis Pœni essent opibus. Inique facis. Audi Appianum loquentem.* Consules Pænos vt inermes despiciebant, donec armatos adorti retrocesserunt. *An uero inermes qui sunt firmis opibus sunt? Reprehendis inde, quod dixerit, Manilium Carthagine sæpe frustra tentata, per deiectam murorum partem irrumpere uoluisse. Iniustè hoc etiam, neque. n. apertius est quidquã aliud apud Appianũ. cuius hæc uerba sunt* Consules Pœnos ut inermes despiciebãt, donec armatos adorti retrocesserũt. Vbi vero rursus aggresi sunt, & rursus nihil profecerunt, Pœnorum animi creuerunt, ac timentes Asdrubalem bina castra muniuerunt, & rursus ambo aggresi sunt, & pariter nihil profecerunt. Manilius desperauit aggredi vrbem, Censorinus partem muri deiecit. *Ea uero est, de qua nunc agitur, Manilium Carthagine sæpe frustra tentata, per muri partem deiectam irrumpere uoluisse. Quid ad hoc respondebis? Negas inde bene eße ab eo scriptum,*

Cum Scipio Pænos prærepto imperatoris consilio suos ita disposuisse audisset, vt alii armati Romanorum impetum sustinerent, alii inermes lapides, & ligna in eos ingredientes ex loco superiore coniicerent. *Negas autem, quia consilium Pænorum Scipio non præripuerit neque facta eorum audiuerit, cum uidere potuerit. Cui dico, audire potuisse à transfuga. Nam etsi uidere fortasse potuit primos armatos, non tamen uidere potuit secundos, & tertios, qui in ædibus erant, cum ipse extra urbem esset. Et si etiam uidisset, non tamen eorum perscrutari consilium potuißet, nisi ab aliquo, ut dixi, transfuga cognouisset, de quo Appianus non loquitur, ut aliquid tacitæ cogitationi nostræ, ut aliàs sæpe, relinquat. Negas inde Manilium rectè Imperatorem dici, quòd nulla re gesta id nominis adhuc meruisset. in quo adeo te expertem Latini sermonis ostẽdis, ut nescire uidearis, imperatorem dici, quicunq; habet imperium militare, ideſt qui rem suis auspicijs, ac suo ductu*

gerit. Quod si probare uoluero, ineptius multo fecero, quàm tu, qui id negasti.
neque enim pagina ulla apud Liuium est, in qua imperator non in hanc significa-
tionem usurpatus reperiatur. Quod autem ais. Ex superiore loco additum,
quod non est apud Appianum, falleris nam idem est apud hunc ex superiore lo-
co, atque apud Appianum ex ædibus. Quod addis, mandata dari non dici de ijs,
qui præsentes agant, plane ridiculum est, sic enim futurum esset, ut imperatores
in prælijs, quibus adsunt, nihil mandarent. at mandant imperatores Tribunis mili
tum, ergo & Tribuni militum centurionibus mandabunt; nam mandantur facien
da, quæ occasio tulerit, & sæpe pro re nata mandata ipsa mutantur. sic tu infra.
Scipio equites cum facibus accensis educit, simulq; iis præcipit,
ne cum hostibus in nocte congrediantur. quid autem interest, præci-
pias ne, an mandes? Reprehendis inde illud. Qui lacessentibus instare hostibus
cuperent. reprehendis autem eo nomine, quia Pœni non lacessèrent, sed se defen-
derent. Neque uides hoc ad Scipionem referri, qui si suos continere ab impetu
nolebat, si hostes quieuissent, quid facturum censemus, si lacessissent? Quære cri
mina alia si potes, neq; enim his oppugnari scriptor historiæ sed fortasse aliqua
ex parte religiosus interpres historici potest.
Post autem cum Pœni summa vi ex vrbe silentio noctis egressi.
Culpas, quod dixerit. summa ui ex vrbe egressi, quod non sit apud Appia-
num. Quod ridiculum esse puto. nam si Appianus illud non dixit, at aliud simi-
le dixit nempe ἐπέκειντο idest, inuasere. unde autem inuasere nisi ex urbe? At
Appianus, inquis, ἐν νυκτὶ dixit idest in nocte, non silentio noctis.
nam silétium noctis partem certam noctis significat, qua omnia
silent. Quid? an uero, si Pœni ex urbe se in Romanos intulerunt, non eam ma-
xime partem noctis delegisse putas, quæ rei agédæ opportunior fuit, nempe tum,
cum omnia silent? Nam quod addis, Appianum narrare, quomodo Pœni castra
Romanorum infesta reddiderint, hunc in genere loqui, id criminis in interpre-
tem caderet, in scriptoré certe non conuenit. Audi iterú Polybium, deinde Liuiú.
Polyb. ad uerbum. coemit etiam ab eis monoxyla nauigia omnia, &
lintres, qui numero multi erant, quod plerique Rhodani accolę
mercaturas è mari faciant. Num hæc omnia expressit Liuius? minime ue-
ro, nam generatim ita locutus est libro 21. Ingens coacta uis nauium est,
lintriumque temere ad uicinalem usum pararatarum. neque enim
expressit, ut emptæ sint, neque monoxyla nauium genera, neque caussam multitu
dinis aperte expressit, neque usum mercaturæ inter accolas Rhodani prodidit.
et tamen hunc locum adumbrauit. quid autem hunc locum dico? integra uolumina
proferre liceret, quæ omnia hoc modo conscripta sunt.
Et enim è portis castrorum egressus iis, quæ à bello longius abe-
rant.

rant. Reprehendis, quod dixerit è portis, non autem è porta, siquidem Appianus scripserit Scipio è castris per auersam portam, ubi nullus erat hostis, cũ equitibus egressus est. Hoc loco negare non poteris, te aut Græce nescire, aut nõ Græcos libros, sed translatos peruolutare. Nam interpres Appiani habet Per auersam portam, at Appianus habet, per alias portas. hoc modo ὁ σκιπίων ἐξέδραμε σὺν ἱππεῦσιν ἐκ τοῦ στρατοπέδου κατὰ πύλας ἄλλας, ἵνα οὐδεὶς πολέμιος. Ecce qui πύλας ἄλλας auersam portam interpretatur, atq; impudẽter ita apud Appianum esse affirmat.

Præfectus hostium. Tu præfectus equitum hostium, non male. Veruntamen qui præfectus dicitur, eum equitum præfectum fuisse non negatur.

Etenim cum Pœnorum milites Hic reprehendis, quod dixerit, Scipionẽ magno animo eduxisse turmas equitũ, cũ Appianus Magno animo nõ habeat. Et hoc palmare est. quasi uero qui Scipionis uitam scribat, nẽ uerbum quidem ad laudem Scipionis addere, nisi quod est apud ueteres, debeat. cum id ad ueritatem pertineat. obijcis etiam, quod uocem. δικόθεν non expresserit. quæ criminatio ad onerandum interpretem ualeret, non ad scriptorem. præsertim uero cum sine ea stet sententia, sic fecit Liuius libro 21. Tum Romanus sinu ex toga facto. Hic, inquit, uobis bellum, & pacem portamus. non enim ita Polybius ad uerbum, Maximus autem natu (è legatis) sinu iis, qui in consilio aderant, ostenso, hic & bellum ipsis dixit, & pacem portare. Tu certe reprehenderes. quod, Maximus natu prætererit, & facto sinu, nõ non ostenso dixerit, & tamen illa fortaße meliora sunt, quàm quæ Liuius attulit.

His de rebus adeo in ore ciuium omnium erat, ut M. Cato. Dictum M. Catonis post Nepherinam expeditionem reponendum esse contendis, auctoritate epitomæ 59. Respondeo epitomas Liuianas parum ualere ad probandum rerum ordinem, non quin sæpe seruatus sit, sed quia proper breuitatem semper seruari non potuerit. neq; semper seruatus sit. Addis tuam suspicionem, Etiã postquã legati Romam ex Africa redierant, reponendum fuisse. quod mihi parum probatur. Neque enim uerisimile est, Catonem interrogatum esse de Scipione, tum, cum legati reuersi ex Africa miranda de illo narrabant, sed ante quàm uirtus Scipionis uulgo nota esset, ante legatorum aduentum, cum paucis cognita esset.

Nam cum commisso transflumen prælio. Obijcis quod commisso prælio dixerit, cum Appianus tamen scriptum reliquerit, cæde magna utrinque facta. Respondeo cædem prælio consequentem fuisse. maleq; Appianum prælij commisionem præterijsse. quod cum tu quoque intelligeres, scripsisti, pugna inita, quod ego puto idem esse, ac commisso prælio. Quod autem Φεράριον castra uertit, nõ locũ munitũ, recte fecit, nã omnia castra sunt locus munitus.

Interea Romanis, postquã in castra peruentum est. *Negas, ex uerbo* ἰσαέρμωσαν *apud Appianũ, idest, in statiua redierunt, castra intelligi posse. Quod ego miror, cum castra sint statiua.*

Manilius se in eos acrius animaduersurum. *Non ita Appianus, inquis, fateor. Verum, ut dixi, non nunc uertimus Appianum.*

Angebat ea cura plerosq;. *At habet Appianus* ἀχθομένων πάντων *quod est* dolentibus omnibus. *Habet. Verum quid interest, inter Dolebant omnes, et, Angebat ea cura plerosque, nisi quòd hoc Latinum est elegantius?*

Sed populum ei ita conciliarunt. *Reprehendis, quòd in commentario Fastorum dixerit,* plebem, & Tribus. *in uita uero* populum & centurias. *Primum dico quoties aliquis de eadem re diuerso modo scripsit, posterius semper emendationem esse prioris. Vtrunque tamen rectè hoc loco dictum. consul enim, à cuncto populo centuriatis comitijs fiebat, in quæ comitia populus conueniebat diuisus in Tribus. Vnde in epitoma Liuiana scriptum est, à compluribus Tribubus Scipionem consulem dictum. Quare & populus & centuriæ, et Tribus, ad creandum consulem pertinent.* Plebem *autem cum dixit, populum intellexit; populus autem appellatur plebs ferè, cum opponitur senatui.*

Addis, imprudenter ipsum esse locutũ, cum dixit, complures eum Tribus cõsulem dixisse, *non autem* scripsisse. *Noli quæso tam acriter agere. Loquere de Appiano, & de uersione eius, in qua te fœlicem uidemus esse; de ijs, quæ pertinent ad morem Romanum, noli cum eo decertare: neque enim, si hanc disputationem ingrediaris, commodè te explicueris. Quid enim ais? cur reprehendis,* dicere consulem, *an quia caret auctore? At eo Liuius, & maximè, quod nũc occurrit, libro 26. sæpißime est usus. an quia tempori Scipionis non conuenit? immo uero nihil aliud magis. nam dicebantur consules tum, cum uoce suffragia ferebantur: nempe ante legem Gabiniam tabellariam de magistratibus, non uoce, sed tabella creandis, quæ post Scipionis consulatum est lata. Scribebantur autem, postquam tabella suffragia sunt inita lege Gabinia tabellaria. Ergo ita propriè locutus est, ut si aliter dixisset, summo se flagitio fuerit obstricturus; quod tu si non sentis, quid est, quòd temere hanc tibi doctrinam ascisças?*

Reliqui ex concubina. *Ex concubinis tu scribendum fuisse censes, quia non ex eadem omnes erant nati concubina. Rectè, si in animo haberet multitudinem concubinarum innuere. Verum non hoc uoluit, sed filios eos tantum fuiße non legitimo matrimonio natos.*

Scipio cum tribus progressus comitibus locum omnem diligentius explorabat. *Instas, quod cum tribus comitibus dixerit, cum Appianus unum eum fuisse scribat. ò impudentiam singularem. Et miraberis deinde, si ad has tuas nugas uir ille responsum dedit nullum? audi Appianum, si modo intelligis.*

ligis. ὁ σκιπίων πρὸ ἰὼν κατεσκέπτετο σὺν τρισὶ φίλοις *idest progressus cum tribus amicis explorabat. Quid ergo? si non legisti Appianum, & hæc dicis, impudens es; si legisti, neq; quid sit* σὺν τρισὶ φίλοις *intellexisti plane Græcorum elementorum rudis.*

Sed ut hoc fieri posit profectò uides. *Aliud est responsum apud Appianũ. Non nego, Verum si Historico licet longam orationem confingere, cur non etiam breue immutare responsum licebit?*

Vteundem illum ad se cum ipsius equitatu traduxerit. *Duo millia inquis, & ducenti equites fuerunt, ergo non totus equitatus. At hic non cum toto equitatu, sed cum equitatu scripsit.*

Præmia tantum ea ostenderet, quę uirtus, & fides eius postea meruisset. *Non expressa est, inquis, sententia Appiani, qui scribit ita.* De gratia uero nihil definiret, sed ei polliceretur, Romanos decentia factu ros. *Præclarè. quid est autem illud,* Decentia facturos, *quàm præmia, quæ uirtus; & fides eius meruisset, daturos? O' stuporem hominis incredibilem.*

Gratiam ut sibi Romanorum compararet, fide, & officio annixurum. *At Appianus dixit* Pręmia Romanorum arbitrio permittere. *Concedo. Hic adumbrare uoluit, non exprimere, ac commodius responsum finxit, quàm Appianus intulit. Liuius etiã libro xxxi. responsum aliter aliquãto rettulit, quàm Polybius. Nã Polybius ita scripsit ad uerbũ* Rex uero dubitãs dixit, tribus de rebus se ei ueniam dare; primùm, quòd iuuenis esset, & rerum rudis; deinde, quòd pulcherrimus esset æqualiũ suorum. *At Liuius ita.* ętas *(inquit)* & forma, & superomnia Romanorum nomen te ferociorem facit. *Num tibi uidetur nihil affinxisse de suo, aliquid dempsisse de alieno?*

Atque hæc quidẽ sunt in primis tredecim pagellis pauca ex plurimis animaduersa.

Plurima supersunt, quæ si perges nos lædere, ut facere instituisti, proferentur: ea uero nunc tibi condonabo tuarum uirium imbecillitatis habita ratione, ut si tam graui rerum senex opprimaris onere, ne desperes. Interea respondebis ad hæc, si uolueris ab omnibus tanti haberi, quanti ipsum te facis, quemq; te esse falsò autumas. Quanquam si mores correxeris, bene facies. eritq; satius mea quidem sententia silere, ne quod est in prouerbio, suo ipsius indicio Sorex pereat. Hoc igitur consilium pro mea in te, quam debeo, beneuolentia, capias te hortor.

LECTORI.

HABES rationem candidiſsime lector, cur hæc aduerſus Bendinellium ſcripſerim: Hic enim is eſt homo, qui cum ſibiipſi nimiū placeat, cæteros quidem omnes deſpicit; atque ita ſibi arrogat, ut præclarum quoddam ſe ediſſe putet, ſi in toto ſuæ ætatis curriculo unū hunc centonem de Scipione Aemyliano fere ſeptuagenarius aſſuerit; in quo tamen opuſculo cum tot errores in tredecim tantum pagellis ab ipſo commiſſos animaduerteris, uide quæſo, tanquam ex ungue Leonem, ut dicitur, quid de reliqua corporis parte poſsis conijcere. Summa hæc eſt, eo ſolum excepto, quod ex alieno ſumptum hîc in farcit, cætera omnia ſunt, aut præter hiſtoriæ fidem ſcripta, aut è Græcis parum intellecta, aut impropriè dicta; ut ualde ſit mirum, tot ab uno potuiſse ineptias, nihil uero prorſus, quod probetur, ab eodem ſcribi. Quanquam illud ſcias, eam uitam, quæ Mutinæ iam uiginti annis impreſſa fuit, etſi innumerabilibus ipſa quoque auctoris uitio abundat erratis, non tamen ſcatere tam multis, eisq; non leuibus, quàm hæc eadem nuper ab eodem tota refecta, ut planè retrogradientis cancri morem ſecutus eſſe uideatur. neq; enim poſteriores cogitationes eſſe ſolere ſapientiores (quod Cic. dixit) ſemper deprehendimus. Id autem cuiuis etiam uiro mediocri iudicio ſatis liquidò conſtabit, ſi nouiſsimam hanc, in qua tamen totas abſumpſit μυροθήκας cum illa ueteri conferre uoluerit. Quare habeat in ore ſemper illud Plauti Aetas acta. Verū poſtquā cœpi, cumulatius reliqua ſuo loco depromam; ut & eius filius, qui per ætatem poterit, ſaltem nunc ediſcat, quanti doctrina patris, quem ut Hiſtoriæ parentem prædicat, ſit habenda: & ipſe Bendinellius deſinat iam tandem ſic ſe intolerantius iactare, & in alios cæco impetu incurrere, imperitosq; adoleſcentes, quos lactandos ſuſcepit arte decipere. Tu uero interim candidiſsime Lector omnia boni conſulito. Vale. Kal. Auguſti. MDLXX.

9 Plutarchus Aemylium appellauit, vt ad Pythagore αἱμυλίαν alluderet. *Hoc ſupra confutauimus, et non eſt in ueteri.*

10 Duos habuit filios. *non eſt in uet.*

Triumphauit ex Rege perſeo *non eſt in uet.*

Studioſe curauit, exercendos curauit. *uerbum hoc repetitū non eſt in uet.*

11 Sub ductu auſpicioque patris meruit. *non eſt in uet.*

Tertius tum agebatur annus. *Totum hoc quod ut superuacaneum ex Liuio sumptũ huc est allatum, non est in Vet.*

L. Aemylio Macedoniam extra ordinem decreuerunt. *contra Liuium hoc esse demonstratum fuit. non est in Vet.*

Glorię cupidus nimium suspicabatur. *Hic omisit ætatem Scipionis, quæ patri suspicionem mouerat, & à Plutarcho exprimitur, cum dicit παιδίδα τὴν ἡλικίαν. In uet. autem non omnino male, sic* quod & admodum adolescens. *item, omisit hic uerbum græcum* εὐρωστίᾳ *prorsus necessarium: in uet. posuit, cum dixit.* Quòd & audax.

Factum est ut consul uersabatur. *hic error non est in uet. inquit enim* Consul unus cum mortuum uidens in luctu, & lamentis uersabatur. *Quare non est inconsequens.*

12 Tantę uictoriæ gaudio sentire cæpit. *non est in Vet.*

Perseus interim, *Liuij pagina tota præter rem, ut ostendi: non est in uet.*

Literæ præces rege indignę continebant. *non est in Vet.*

15 Pręceptore Metrodoro usus est. *Falsum est, neque tradit hoc Plinius, unde sumptum est, ut supra dixi. Non est in Vet.*

A' Sole exoriente &c. *octo sunt hic errores supra à nobis detecti: non omnes sunt in Vet.*

16 Prudenter deponere non solebat *addidit uocem* Prudenter; *quæ non est in Cicerone, undè sumptum hoc est; non est in Vet.*

Pater censor è uita decessit. *falsum est ex Plutarcho, ut dixi: neque id est in Vet.*

Papyriam repudiauit *non dicitur repudiare de ea, quæ liberos habuerit, ut probatum est. non est in Vet.*

Cuius abstinentia. *Superuacanea sunt huc ex Cic. de officijs traducta. non sunt in Vet.*

P. Rutilium. *Rupilium dici debet. non est in uet.*

17 Vna esse domus, rusticationesq; fuerint. *cum dicere oporteat, essent, recte in Vet.*

Ad Gaietam *scribere debemus Caietam. non est in uet.*

Opprimi splendore. *non est in uet.*

Et si plurimum tribuebatur ambobus. *superflua ex Cic. de clar. orat. non sunt in Vet.*

18 Nihil difficilius esse dicebat &c. *Præter rem huc ex Cic. de amicitia inculcata non sunt in Vet.*

19 Præstantia uirtutis superarer. *non est in Vet.*

Vt anteposuit. *Pro anteposuerit. non est in Vet.*

Ingenii ostendendi. *Rectius, ostentandi, ut est in. Vet. & in Gellio, unde sum ptum est.*

Legatus Luculli præter cętera, illud memorabile fuit. *Hic est Anacoluthon turpe, ut demonstraui: non est in Vet. quæ sic habet.* Legatus Luculli præter cætera Barbarum ad Intercatiam interfecit.

30 Neminem perduci videret. *Non expressit Græcum. sic. Nemine in pugnam prodeunte. non est in Vet.*

Linguam exerens. *Ex historia Torquati sumptum, ut dixi. non est in Vet.*

Media militaris statura. *Dicitur a Liuio de Torquato. non est in Vet.*

Masinissa bellum gerebat cum Carthaginensibus Asdrubale duce. *Obscurum. melius in Vet. Bellum aduersus Carthaginenses gerebat, quorum Imperator erat Asdrubal.*

21 Gratulabundus. *Non est in Appiano: neque in Vet. positum est.*

Scipionem iterum conspiceret. *Vox* Iterum *non est in Cicerone, & in Vet posita non est.*

22 In quibus quidem libris. *Sunt hæc omnia in historia superuacanea. neque sunt in Vet.*

23 Patebat Carthago. *Situm Carthaginis uitam Scipionis scribenti non conuenire demonstratum est, neque ille est in Vet.*

Byrsa tumulus. *Arx, potius. non est in Vet.*

Triplici muro. *Descriptio hæc Byrsæ plurimis abundat erratis, ut supra patuit. His omnibus caret Vetus. Cuiuis licet intueri.*

24 Domicilium vertit σκηνήν. *non est in Vet.* portuum τῶν νεωρίων. *non est in Vet.*

Pręco edicere. *Pronuntiare scribendum erat, ut dixi. non est in Vet.*

25 Saluti ea nocte fuisse. *Hoc errore supra demonstrato caret Vetus.*

26 Ex insidiis aggrediebatur. *Vox* Insidiis *non est in Græco, neque est in Vet.*

Duas equitũ turmas. *Quuomodo locus hic intelligendus esset, dixi; atque unde error emanarit, ostendi: nempe ex duabus illis uocibus* δύο, ἴλας: *sed uox* Duas. *non est in Vet.*

Hostibus irruentibus. *Immo irruturorum scilicet Romanorum, ut patuit non est in Vet.*

Distabat hęc vrbs. *Nepheris descriptio è Strabone sumpta hic non est necessaria, neq; Appianus ipse describit, neque est in Vet.*

29 Hac quidem graminea. *Ad uerbum hæc è Gellio sumpta, sed præter rē: & non sunt in Vet.*

30 Prætorium. *potius consilium, idest, qui in consilio ad sunt. nam Græce* συνέδριον

ἄξιον ut dictũ est. non est in Vet.

Scipio supremã horã esse cum sentiret, proditũ est &c. *est uitium Anacoluthon sic in Vet.* Scipio supremã horam sentiens proditũ est &c. *Ecce :xx. annis congruè loqui nondum didicit & iactat uestigia Græcæ, & Latinæ linguæ non obscura Lucæ & Placentiæ impressa se reliquisse.*

31 Gulussę natu maximo. *falsum est; rectius in Vet. Micipsæ natu maiori.*

Ad comprimendas insidias. *non est in Vet.*

Ratus illum loqui uelle. *rectius hoc(quãquã non rectè) quod est in Vet. illum secum loqui uelle.*

32 Reuerso iterum. *Pleonasmus. rectius in Vet. Reuerso deinde Manilio. &c.*

Manilius cum uideret, eo inclinauit sententia. *Incongrua locutio, non sic in Vet. Manilius maximè timebat, tandẽ eo inclinauit sententia, &c.*

33 Scipionem redeuntem cum clamoribus prosecutus est. *omisit, quod est in Græco ὡς ἐπὶ τριάμβῳ non sic in Vet. inquit enim, ueluti triumphantem.*

Id, quod Romam ad suos scripserunt. *deest uox, quæ reperitur in Græco* πολλοὶ *quam uetus habet, sic, Quod plurimi Romam ad suos scripsere.*

Erat hæc urbs. (*de Hippone loquitur*) inter Vticam. *Hæc omnia (ut supra demonstratum est) ad rem nõ pertinent. In Vet. uero non inepte omissa sunt.*

34 Ea uero iubente collega. *Hæc Periodus est tota male è Græco uersa, ut supra patuit: sed non ponitur in Veteri.*

His igitur patet esse uerum, quod uulgari prouerbio fertur Bis pueri Senes. *neque credendum, quod extat apud* Euripidem. αἱ δευτεραι πως φροντίδες σοφώτεραι.

FINIS.

Verba Græca Polybij, quæ desiderantur pag. 34. & pag. 35. & pag. 37. sunt omissa, quia characteres non erant apud impressores, & qui aderant, parum boni. Quæ deprauatè sunt impressa, tu humanissime Lector corrigito sic.

Pag. 3. precipue præcipue. atq; obtrectatione, atq; meæ obtrectatione. deliniare, delineare. 4. redegisse, redegisse. 5. cogitatione, cognitione. 6. Macedoniæ, Macedonicæ. Romæ, Roma. 7. pertineret, pertineat. 8. aplicuit, applicuit. Itterum, Iterum. 10. Nonnoulli. Nonnulli. 17. ἐνκσον, πηχῶν. 18. distabat, distabant. εὔλον. 19. ἤ. 22. costlio, consilio. 23. Scipionem, Scipionem uimin, uim in. de esse, deesse. 24. θε'λοιεν. erupturum, erepturum. deligisse, delegisse. 25. se legi, selegi. complectereris. 26. Papiria, Papyriæ. 31. accessisse cum. 33. sunt, sunt,. 34. monoxvla, monoxyla. 35. cum cquitibus, cum equitibus. non non ostenso, non ostenso. 36. inmo, immo. temeret, temere. iu, tu. 37. ὁ σκιπίαν pos it, posit. 38. ἤ, ἡ. esse, esset. inculcata. superaret. 40. Quuomodo, Quomodo. 33 πολλι, πολ. οι. 33. ecce. Ecce.

FINIS.

Non sine Licentia Superiorum.